

S I M B O L



I S




394213 III

Mag. St. Dr.

48

2. 492



Ex muspo Octavij de Strada
Civis Romani Symbola
desumpta sunt.

CVM PRIVILEGIUM PONTI-
ET SAC. CAES. M¹¹³

S. C. M¹¹³ sculptor A. gidius
Sculptor excudit Praga
M. D. C. II.



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRIN-
CIPi ET DOMINO, Dn. FRANCISCO A
DEITRICHSTEIN, MISERATIONE DI-
VINA S. R. E. TITVLO S. SILVESTRI CARDI-
NALI PRAESBITERO, EPISCOPO OLO-
mucensi, Regalis Ecclesiae Bohemicae Comiti, S. C. M.,
Consiliario, &c. Principi ac Domino
suo colendissimo,




Um, ILLVSTRISSE ET REVERENDISSE PRIN-
ceps, Symbolorum Heroicorum Tomum absolvissem alte-
rum, cum cuinam dedicarem deliberanti, Tu mihi occur-
risti, non solum loco excelsa natus; sed ingenio quoque
sublimi praeditus; avitis propriisque, germanis virtutibus
clarissimus; ideoque CLEMENTI VIII, PONTIF. Max: & R-
DOLPHO II. IMPERAT: charissimus; Purpuratos inter pietatis splen-
dore nitens; inter Senatores vero judicis dexteritate eminens; vere He-
ros. Hujus igitur foelicitatis Tuae maximae, ut, cum Summis quibusq;
ne nimium etiam congratulantem admittere, hancque compellatio-
nem & dedicationem voti & omnis boni nomine institutam, accipere
digneris, iterum atque iterum rogo. Vale.

*Illustriss. Vestrae
Celsitud:*

Servus obedientiss.

Aegidius Sadeler.





FRANCISCVS A DIETRICHSTEIN PRAESBITER CARDINALIS
S. SYLVESTRIS EPISCOPVS OLMVC



*Gratia que Caelo que Roma et Cesare venit
Poma arboris tibi, et Symbola clara notant.*

ESTIMATA
MAY 18 1882
CRANFORD N.J.

Cardinales S. Romane Ecclesie.

I

*Alphonsus infans Portugalię Presb:
Cardinalis S. Nijsti Frater Jo: III.*

*Henricus Presb: Cardi: III Coronator
Episcop: Zagitanus Frater Jo: III. Re Por.*



*Ludouicus Arragonius ex regio sanguine
ortus. Diacon: Card: S. Nijsti.*

*Theobaldus Arragonius presb: Card:
S. Sabine. Episcopus Valentie.*



*Carolus Arragonius ex regio sanguine
Diaconus Card: S. Marie.*

*Carolus de Vendosme Gallus nepos.
Regis Franc: presb: Card: S. Sabine*





Ssc in Hierographia, plus in abdito, quàm promptu, vel ex hac prima Purpuratorum, satis patet Nihil Symbolo manifestius, nihil notius Hieroglypto. Quid autem velit Cardinalis, non omnes peræq; intelligunt facile. Erunt enim qui contendunt, esse desperantis: erunt qui sperantis. Nec deest causa discrepantibus sententijs. Pedum destitutum desperantis est. Statutum, non abiectum, sed fixum, est sperantis. Atq; in hanc me sententiam, cum rei veritas, tum auctoris dignitas inclinatur. Nam qui terram & mare cernit, & audit, ut nihil iuvat; ex Pedo non difficulter colligit, Virum non minus pietate, quam genere insignem, certiori loco spem, quam humano collocasse. Non enim ille tumultus, in terris licet, terreus est; sed eius, qui in terris versatur, spes celestis, cuius si cui fidem non facio, is oculos tollat: & videbit manum, cum manubrio; non esse humili aut presso loco, quanquam non elato, sed humili animo, Celum adiatur. Alfonsus igitur, in regia familia natus, & Rep: Romana constitutus, secundum rerum variarum usum, ac tedium omnium, cum actum ageret, hoc egit, quod videmus, & pedum siue scipionem imo pedem, certo loco fixit. Quis ille? Spes in DEum. Hic enim ut cetera deficient, facit, quæ rogatur, imò supplicia sæpe nostra placabilitate & gratia anteuertit: si ex re nostra est, cuius causa & nos ipsi, & alios fatigamus.

II. HIEROGRAPHIA.

Videre & hinc est omnia vulgo nota: audire non ignota his etiam, qui à limine viderunt Latium. Ab auribus incipio: Bonæ spei Neutra vox obscura. Ad oculos venio. Libram, qui unquam vidit, simul ac videt, norit. Ita de ansa, iugum: de iugo balances pendent quod æque, non ita apparet examen. Apparet tamen cuius Libram esse. Nec quisquam est tam cæcus, qui non videat, sub libra corbem decerptarum, cum frondibus, frugum multijugum. Quod autem Cardinalis non sit pro-pola, dubitarit non iniuria quispiam: quid ad libram corbis? Deinde, cum bonæ & spei, voces tritæ sint, hiulca autem oratio; nota etiam ignoramus: cogimur saltem circumspicere, quò referantur, aut, ad quem pertineant. Ego ariolor spectare ad ipsum Cardinalem, videor enim dum hæc meditaretur, musantem audire. Multi & multa me spe mea fraudarunt, vel quod rara hominum fides sit, rerum omnium perpetua viciscitudo, & instabilis conditio: vel quod ego ea statuerim firma, quæ erant infirma, & his fiderem imo palpandum dederim, qui rei meæ gratia, verba, mihi darent, grata magis, quam vera, Maior itaq; in me residet, quam in alijs hæreat culpa. Quid me miseror? aut alios criminor, mutanda consiliorum ratio. Et nihil optandum, quod iustè non licet. Consilia iusta & modesta, bonæ spei sunt. Iusticiæ libra est. Modestæ Corbis. Non satis autem est deliberationes nostras, iustas esse: nisi & sint modestæ, imò hoc antè etiam, quam illud cogitanti, primum occurrat. Nam sibi quisq; prauo ingenio aut instituto, longe plus iusto indulget.

Hinc

3.

Hinc illa non in homines tantum, verum etiam in Deos immortales, indignatio Animi insolentis, non a ratione profecta, sed cupiditate stolidi, inani, molesta. Quid enim huic cæno debetur? Non præmium sed pæna. Hæc enodatio Hierographiæ, digna est Principe Viro, Cæterum & bonæ spei annona est: quæ in iusto commercio versatur. Dist. 109.

III. HIEROGRAPHIA.

Vitem dictam Varro putat, quod ad vuas percipiendas inuitet Vinosi, quod sitam in ea vitam existiment. Nec abs ventre omnino, quibus vivere est bibere. Si Vino tantum mergeremur, Nunc vitis latex non est, quod Vinum hordeacium Herodotus appellat. Et quot alia sunt poculenta? quæ non tantum ad sitim, necessitatem, verum etiam ad voluptatem & furorem hauriuntur? Cæterum Ulmo maritatur propter raritatem foliorum, ipsa Luxurians vitis, cum pampinis, tum capreolis, in quas nuptias intentum M. Ciceronem, non solum spes generosæ sobolis verum & culturæ suauitas, naturæ dexteritas oblectant. Ita clauiculis, veluti manibus, maritum circumplexa, felicitate sua gaudet, & quasi alacritate diffunditur. Hinc iste frondes, instar porrectæ frontis, quas vinitor coërcet, &, ut prudens gubernator, plebem à luxurie ad moderationem, ipsam castigat, ac cogit à frondibus ad fruges. Quid igitur se ipsa sustinet? ut in Symbolo est? Quod in nuptijs, unum ex duobus fiat. Non se vitis sustinet, sed vitis & ulmus, siue, ut in conubio maneam, ulmi vitis. Accedit cura Vinitoris, sed qui adiuet, non afferat naturam. Quod verò, ad cælibem, nuptialis Hierographia? Aragonius est, regali profapia Lodouicus. Inter purpuratos coöptatus, veluti in aliam familiam transijt. Atq; hinc est, quod gentilibus sua remittens, & de jure suo cedens, audacter dicat. Res Lodovici vestri, vobis habetoté: Nam se ipse sustinet, jam Ecclesiam ducit: qui repudiatis mundanis & vanis, rebus sacris sese mancipat.

IV. HIEROGRAPHIA.

Inter potulenta, siue poculenta, est vinum mali Punici, quod Rhoitem Plinius, quemadmodum hordeaceum cereuisiam Lactantius nominat. Cæterum hoc ad proximam propius, quàm hanc Hierographiam pertinet, si tamen non & ad hanc. Nam liquorem maturius ex pomis expresseris, quàm vaporem expectaris, præsertim, qui Iridem coloribus suis referat, ut Scalptor vult. Erumpere liquorem in altum posse non nego. Vis enim ea est, contra naturam, & ea de causa, momentanea, aut non diuturna saltem. Flos sativæ Mali Punicæ Cytinus dicitur: balauustum siluestris, Dioscoridi Huius distincta coloribus genera reperiuntur, candidum, fuluum, puniceum. At Mysta, sub cortice, inquit, hæc tegeo, sub putamine, quod Malicorium Plinius cum Dioscoride appellat, non flore. Sub cortice verò, quæ Malum Punicum continet, sapore non colore discriminat. Ille quidem dulcia, acria, mixta, acida & vinosa: hic verò, quinque ista in tria redigit fastigia, ut Matthiolus declarat. Vni dulcia: alteri acria & acida, tertio mixta & vinosa tribuens. Propius ad Dioscoridem Mysta accedere videri posset: si

4^o
sub unius cortice hæc essent omnia. Nunc saporum varietas, est specierum diversitas. Quod, si membranam candidam, qua intra corticem, veluti supparo, Malum tegitur; acinos puniceos: & quid per interstitia, vernans, nescio, considerare lubet; hæc natura non exhalat: putrescit enim & malum fit malum, simul ac quidquam exhalat. Observo autem hos colores, Iridis causa, cui assimilat Scalptor. Est enim in Iride, puniceum quid, viride & purpureum, ut Aristoteles observat. Flavi enim apparitio est non exstantia, orta ex comparatione Punicei & Viridis. Quod autem mille, id est, infinitos colores trahere. Iridem Virgilius facit; facit ad scenæ & multitudinis opinionem, ac plausum. Si tantum sculptori tribuo; quantum tribuimus auctori? Fecit tricolor intercus Malum. Si tale non est naturale; factitium reperietur, quale præter naturam vult: & erit Pyrobolus, Mali Punici forma quod totidem colores evomat, quot sapes illud diuersis speciebus continebit. Erit, inquam, Malum Punicum, si non conforme gentino prorsus; congruum cum sententia Cardinalis. Nam colores animi sui boni, non Mali ullius pandit. Et se austerum præfractio, placabilem miti, suspensum medio ingenio vult declarare. Hæc mea sententia est de sententia Theobaldi Cardin. Aragonij: Nec obstat mihi, pios Manes testor, quod cum naturali factitium recepi, cum educatio sit altera, & quandoq; potior natura.

V. HIEROGRAPHIA.

Suus cuiq; Planetarum color est, uti Plinius notat. Saturno candidus; Ioui clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vesperis refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli, cum oritur, ardens, postea radians. Quos verò & quot, æra subintrans causatur colores? Idem tamen est, & solius, licet ex repercussu plures appareant Soles. Magnum Mundi miraculum. Et cum hoc mundi miraculo, perspicuo ac magno, Architectum Mundi Deum Opt. Max. comparat. Nic. Cusanus. Quemadmodum enim aliter, in cæno & cæra operatur sol; ita Deus in insanabili & sano pectore. Et non videtur aliud sentire Mystra hic noster, cum ait: Idem per diuersa. Nam ut idem Sol per diuersa est, licet media varient lucem Solis; ita & Deus, solus, idem & unus est; quamuis per diuersa appareat longè diuersus. Quod si de se ipse loquitur, & vitæ rationem aliam atq; aliam purgat: ne à se ipse discrepare videatur, ut enim ætas alia, alios mores postulat: ita & tempora incidunt, quæ non unius solum ætatis, verum etiam momenti consilia varient, citra leuitatis notam, aut labem inconstantiæ] audiendus est æquis auribus, non sua tantum, sed & nostra causa. Homo enim erat, nos homines sumus, à quibus humani nihil est alienum. Et pertinax sapius est, quam constans, qui sui in re priuata, aut instituti maiorum tenacior est in Rep. Nec injuria Aeschynes Demosthenem reprehendit, Athenienses exemplo maiorum, ad bellum, incisis neruis, cohortantem: Quid enim hoc aliud erat, quàm equum, ad stadium, in quo florens ætate vicerat, annosum reducere? Vertumnos nolo. Volo scientes uti foro. Alcibiadem sua dexteritas tandem destituit.

5+

stituit. T. Pomponium Atticum virtus servavit. Ita, si absit fraus, & laudi & saluti est, eundem esse, inter diversos: aut huic commodare, sine illius injuria.

VI. HIEROGRAPHIA.

Locum non esse infinitum, Aristoteles ex loci natura ostendit. Sunt enim Loci differentiae, sursum, deorsum: antè, retrò: dextrum & sinistrum, non modò, ratione nostri, sed & respectu totius determinatae quod infinito ex diametro aduersatur. Si locus non est infinitus, nec herclè corpus, quod nullum ne imaginari quidem possumus, extra locum. Hac praefatione, hoc loco utor, quod cernam, ex orbe universi, alium orbem exire, quem Anguis extricans sese, & in se reflexus facit. Non tamen in cefso, quem interpretor, Mystam. Non enim statuit in rerum natura, Infinitum. At supra Naturam Aeternitatem scilicet, quam Anguis Mystica passim denotat. Et hoc est, quod de diametro Aeternitatis, Mundi Machina dependeat. Nam tempus est mensura Motus: & cum primo Mobili inceptit, quod quia compositum est non potest esse æternum; sed quia temporis est prius & posterius; est aliquod primum, superius Tempore: quod jam aliud non est, quam Aeternitas. Ita & Naturæ, pro loco: & Mystæ pro dignitate satisfactum sit. Nunc ad rem accedamus, in qua jam nihil obscuri reliquum est. Dicit enim gloriam esse immortalem. Non esset autem talis, si angustijs Mundi coerceretur finiretur enim tempore, quod rerum omnium Mundi edax est. Quod autem Mysta dicit, aut de Nominis, aut de Animæ gloria dicit, si de Animæ gloria, nihil verius potuit dicere. Nam Aeterni omnia sunt æterna. Talis autem est Anima Hominis. Menti enim qui oculus Animæ est, nihil mortale, sed Verum, quod jam immortale obiectum est. Si de Nominis gloria, ea tenus verè; quatenus Nomen ab interitu eloquentia vindicat. Nam non modò rerum præclarè gestarum, verum etiam scriptarum licet prudenter monumenta, temporis intercapedo, non admodum longæua intercipit, si destituantur eloquentia.

Et id sentit Plinius, cum ait (Minorem dico) faciendæ,
quæ scribantur: aut scribendæ, quæ legantur.

Auersamur enim magis ineptè scripta,
quàm improbè facta ubi
affectus subsedere.

ss

Cardinales S. Romane Ecclesie

*Carolus a'lotharingia de Valdebon
Presb: Card: S. Marie in*

*Carolus Borbomus Diac: Card: S.
Martini Frater Regis Henrici I. Naua:*



*Ludouicus Borbonius Episco: Card:
S. Sabine Portuensis nepos Reg: Na:*

*Georgius Radgini. Presb: Card: S.
Nysti Epis: Vilnes gener Sigis: RPol:*



*Andreas Bathorius nepos Reg: Stef:
Pol: presb: Cardin: S. Hadriani*

*Claudius de Guisa Diaconus Card:
S. Clementis frater Ducis Caroli*



VII. HIEROGRAPHIA.

Siue λαμπτήρ siue φανός est, inflammata ista flamma de cuspide; Persarum Reges non procedebant, absq; igne, ut videre est apud Herodotum, ut expeditione Xerxis. Et si maiorum nostrorum, juniores enim Persis sunt, recordari lubet, erat qui ex Græcis in exercitu, ignem præferret, dictus abs re, Pyrophoros aut πυροφόρος. Erat, qui Romano Magistratui, non tantum in bello. Atq; hoc quidem nobis numismata testantur, ut in vita, inaugurationeq; Gordiani liquet. Illud in Genial. Alexander ostendit: hoc Eustatio, imò tritum vulgo proverbium: οὐδὲ πυροφόρος ἐλαφθῆν quod Erasmus in Paræmijs uberrimè enarrat. Nihil absq; causa refero Persæ ignem sacrum habebant, & eà alebant perennem, quemadmodum Argiui & Romani. Ita non poterat aboleri, ignis super holocaustum celitus diffusi memoria. Et sacrorum causa reliqui, habuerunt in promptu ignem. Græci inquam, & Romani, non illum ignem perpetuum. Nec sacrorum modò causa; sed & Sacrosancti Magistratus ergò Romani, ut intelligeret se ille, in oculis, in conspectu, atq; adeò, in luce versari. Huc profectò Lampas de hasta refulgens, omninò respicit. Vita Principum certè omnium oculos in se conuertit, & longè potentior est, ad æmulationem. Lege, quam tamen ut in obelisco lumen Aristoteles in ciuitate collocat. Xenophon clarissimus imperator, & sagacissimus Philosophus, duci militiæ censeret & sensisset labores admodum graues; sed hoc leuari, quod videat se ab omnibus videri & conspici. Et ex re alia, quam publica voluptatem capient? qui militiæ, togæq; dominantur? Aliud sine controuersia est sceptrum, aliud plectrum. Quare si Rex es; terege: & quæ Regem decent; face. Lux enim Principis, quod publica, ingens est, ut legis in Symbolo, & ita malo legere, quam ignes Principis. Quid enim hic ignis ad Principis lucem? Et si ignes, veluti igniculos M. Tullius, dotes & animi Lumina intelligis; legis mecum: & diligis Principem, non Lucernæ prælucentis, sed animi virtute relucentis gratia.

VIII. HIEROGRAPHIA.

Non exploditur voluptas, amica inimica, quod voluptas sit; magis hoc culpatur, quod ærumnas causatur, & quidquid non est volupe id omne in malis ponit. Contra Virtus laudatur, & probatur sanis, non tantum, quod rectè facta sequatur voluptas vera, atq; genuina, verum etiam, quod comitetur, imò antecedit, animi in se ipso, velut teatro, exultantis, cum motu quies, & gloria. Quemadmodum enim verum est uberrimos esse fructus virtutis; ita falsa est ipsius Virtutis, cum amara radice comparatio. Delectatur sudore & labore suo, qui agrum suum colit, Qui excolit ingenium, aut animum exercet, non seruilibus ministerijs, at virilibus officijs; cedit Agricola? Non reor Mascula sententia. At multos sinistra deprauat opinio. Cedo: nec enim numeramus, sed ponderamus, ut viros verè viros decet, sententias. Et jam tritæ, omnium manibus, Origenes Mosis, ex ocio Maioribus nostris, nata, quæ etiamnum nos fatigant negotia, conuincunt. Cuius auctoritati, si quid nostri

8.

nostri temporis impudentia derogaret, omnium temporum memoria suffragatur. Ita nihil boni facimus, cum nihil facimus, necessitasque est, quæ extudit, ut loquitur Virgilius, & conservat, ut ego adijciam, artes. Quorsum hæc tam longè repetita oratio? Ad Symboli confirmationem. Ex omnibus enim liquet, Virtutem infirmitate perfici: ærumnis exerceri: rebus & hominibus aduersis efflorescere: secundis remitti: feruidioribus torpere: ocio denique intermori: & quasi sublato nutricio, sine antagonista, concidere. ut patet, si non antè satis patuit, in Rep. Romana. Quamdiu populum Romanum samnites, Pyrrus, Carthaginienses oppugnarunt; tamdiu istæ virtutis lumina viguerunt. Victis verò superatisque hostibus imperij æmulis; pullulare sensim vitia donec non mole rerum, sed mutatione morum, à fundamento rueret, florentissima omnium ciuitas: & prædæ his esset, quibus antè fuerat terrori. Mystra non Romanos, aut qui antè rerum potiti sunt, Macedonas, Persas Assyrios adducit; sed adolescentem, ut videre est, quem non in curru, sed humi: non in ciuitate, sed solitudine: non sereno, sed pluuio celo: non nudum quidem, sed nec superbè amictum: aperto, non operto capite: & solo denique scipione, id est, sola virtute, & mente supra ætatem constanti statuit. plane ut Herculem Prodicus Chius, nisi quod illum hic inter virtutem & voluptatem: plane ut Homerus Vlysseni, omnibus malis presum non oppressum, nudum tandem abijcit. Ita exoticis utor pigmentis: quod fordeant nobis in nostra Repub. natæ Christianæ Virtutes. Vnus Iobus pulchrior fuit tolerantia, quàm ullus Paganorum, non dico, fuit, sed fingi potuit, ab ullo, vel Poëta, vel Historiographo, licet eloquenti. Nullus enim est, in quo non sit nævus, nec ille quidem, qui deceat, sed deturpet ac deformet formam Virtutis. Et huic uni Iobo palmam eripiunt, Martyrum non unus aliquis, sed multi exercitus.

IX. HIEROGRAPHIA.

Tabulam hinc rasam cernis: & legis, Melior fortuna notabit, Ergò scribenda, & memoriæ consignanda, læta modò & jucunda? nec commemoranda simul aduersa? Non ea Mystræ mens est. Liberam enim & veram esse oportet rerum narrationem præsertim, quæ ad posteros transmittitur, manca aliàs futura, cum oporteat in utramque partem proposita lectori exempla, ut habeat, quæ sequatur, quæ vitet. Iusticiæ enim exitus aut optabilis est, aut tolerabilis. licet successus plerumque minus sint prosperi & optati. Poëtæ, quemadmodum pictores inumbrant quædam, silentio, ne offendunt, multa involuunt, & quibus assentantur, his placita magis, quàm alijs probata scribunt. Sed ab horum leuitate & adulatione, multum abest Cardinalis tanti grauitas. Quid igitur vult nuda sua tabula? Fortè quod Seneca, Beneficiorum nunquam maleficiorum citò obliuiscendum. Nam Aristoteles mentem nostram, ad imaginem rasæ tabulæ dolat. Quod si penitus in animum Mystræ lubet descendere: præceptum nobis animaduertemus, Mentem ærumnis fractam, spe meliorum erigendam: & aduersitatum tantum modò recordandum, ne insolescamus. Iucunda enim est præteriti laboris recordatio.

X. HIE.

X. HIEROGRAPHIA.

Altare tibi demonstrandum non est, Ardet quippe, non fumat. Nec Agnus ad victimam: faces enim lucent, & securis in truncum hæret impacta. Quid igitur Cardinalis? sacrificijs non delectaberis. Non aliud haud dubiè quàm Dauid, cuius sunt verba ad Deum. Fuit ex instituto Mosis, quem æmulatum Cacodæmonem Romæ Tertullianus scribit, variis sacrorum, apud Iudæos, apparatus. Agni immolatio longè vetustior Mose. Nam & in Aegypto renouatum est sacrificium Abeli. Et cum cetera aliò tenderent, in illa umbra; Agnus repræsentabat Christum. Hæc ego, non refero, ut noua, vel in audita; at Symboli causa, Tempus enim fore diuinabat Dauid, quo Christus, uno sacrificio, omnia esset antiquaturus quanquam & ea tempestate, qua vaticinaretur, & regnaret, Deum animaduertet, peccatis impiæ gentis offendi magis, quàm victimis placari. Qua de causa, non abolet quidem, sacrificandi ritum, sed puræ menti imperat, purius sacrificium laudis Diuinæ. Aut me omnia fallunt, aut hoc etiam Cardinalis vult, Vult inquam, pietati Christianæ, vitam consonantem.

XI. HIEROGRAPHIA.

Phœnix, Græcis, palmae st. Atq; hinc non nomen modò fabulosæ Aui datum est; verum etiam nomini ratio. ut vult Plinius. Sic enim dictam auium vult, quod, ut planta, ex se renascatur. Res magna & memorabilis. Aui tot seculis constitit fama, ex quo, doctorum hominum fabula constituit famam Auis, quam volebant ἀπύτορα & ἀμύτορα. Fama verò, aut fabula verius erat, sexcentos amplius annos viuere & non vitæ tædio, at desiderio prolis, in voluntarium transire incendium. Pyra scilicet congesta, quam eminentiori loco Sol incendat, ardere spontaneam: ex cuius cineribus ipsa repuerascit. Ita, ni fallor, Herodotus, & qui omnes falsos scribit, Tranquillus. Liberum enim erat, longæuo æuo, mendacium. Sequens ætas, aut minus credula, aut maiorum insipientia sapiens, fabulosa censeret, quæ falsa sensit. Barthorius Phœnicem in foculo collocat ut vides: & rei magnæ, magnifica adiicit verba, se necat, ut viuat. quod de Phœnice dictum, in ipsum, quadrat. Nam hic ipse Cardin. Barthorius, dum ipsam Transsylvaniam appetit, cum Principatu amittit, prælio superatus, à Michaële, Vaiuoda Valachia. Ita sæpe nescimus, quæ præscimus.

XII. HIEROGRAPHIA.

Hanc Paradinus Cænobio cuidam tribuit: & aduentanti Guisio, qua vides specie, Pyramidem erectam. Nec euoluit, sed carmen Gallicum ex basi exscriptum, in litteras retulit, quo animus Cænobij explicatur. Id ne malè: vertam, paucis si exposuero, tuo etiam labori parcam, prolixius enim est. Rex est Pyramis & herclè Regis Hieroglypton, $\delta\mu\omicron\tau\omicron\mu\theta$, siue crescens Luna. Hedera verò, Card. Guisius. Hæc ferè sunt Epigrammatis, scitu digna. Nam his cognitis, cuius manifestum est Symbolum.

10.


bolum. Te, ô Rex, stante (stabis autem, pyramidis instar, semper incolumis & in concussus) ego, qui te obsequio & benevolentia obseruo, atq; amplector, in morem hederæ, nec possum a te auelli, ego viam & florebo: nec marcescam ætate, sed in senectâ etiâ virebo, tuis Rex honoribus, non meis opibus. Vt enim humi nata, paulatim assurgit, & radiculis obrepit arboribus & muris, non modò suis diffusa viribus, sed altiorum amans hedera; ita ego longè infra Maiestatem illam Regiam genitus, tueri tua beneficia, sine tua beneuolentia nequirem. Cæterum Hedera in oculos passim incurrit. Quæ extra oculos sunt, Dioscorides, Plinius & Theophrastus in commentarios, velut in pænu abdita, studiosis Historiæ Naturalis conseruarunt, coaceruaruntq;. Cætera quid persequar? Crescens Luna, signum militare Turcarum etiâ est, non modò proteruè, verùm etiâ imprudenter sumpta. Nam quæ crescit, senescit quoq; Luna. Et cum sit instabilis, ab alio, lumen mutuatur. At signa, felicia ac fausta, sagacitas Principum submit: & omen infelix priuatim etiâ auersamur.



Cardinales S. Romane Ecclesie

*Ludovicus de Guisa Lotharingus Gallus
Diaconus Cardinalis S. Juliani.*

*Aloysius de guisa Lotharingus Gallus
Diaconus Cardinalis S. Laurenty.*



*Ferdinandus Medices Presb. Cardi:
S. Eustachy, Protector Hispaniarum.*

*Joannes Medices Presb. Cardina:
im. Coronator F. Fran. M. D. H.*



*Alexander Medices Presb. Card: S.S.
Quirici et Juliane, Archiepis. Florentie.*

*Joan. Angelus Medices Presb. Card:
S. Stephani in Calio mente Epiz. Sippentin?*



XIII. HIEROGRAPHIA.

Symbolum Gallicum est, Meo commodo. Hieroglypton, Ciconia. Quæ quo pacto inter se concordent; alius fortè melius me dixerit. Nam Ciconiæ in societatem publicè consentiunt, ut Plinius refert & nos videmus, commeant enim gregatim quotannis: & priuatim parentibus gratiam referunt, atq; nutrimenta, justè persolvunt. Vnde πελαρρικοί νόμοι. Meminit Aristophanes, imò ad Ciconiarum institutum, Solon pubem Atticam instituit. Et ultimò aduentantem reliquæ, in expeditione interficiunt, discerpunt. Quæ omnia, non priuatum commodum, sed publicam salutem redolent. Serpentem rostro tenet. Teneat, per me licet, sed grandæuis parentibus, hunc ipsum pastum, tanto discrimine comparat: & non suo commodo, sæpe enim suo exitio deglutit, at nostro emolumento, cum serpentibus bellum gerit. Quæ causa erat Thesalis vindicandi ab injuria Ciconias, uti Plinius narrat: & capitali supplicio, non secus in eum animaduertendi, qui Ciconiam, ac, qui hominem necasset. Non ignarus naturæ Ludouicus Guisus, vidit sibi bellum esse, cum turbulentis hominibus, si dignitatis locum tenere, & tueri vellet; haud secus ac Ciconias cum serpentibus Natura committit. At, si Ciconiæ non omnia, ventris gratia faciunt, sed officij, pleraq; , uti jam demonstratum est; nemo est benè natus, aut rectè institutus, qui suo commodo potius, quàm publico, ad rem præclaram accingatur.

XIV. HIEROGRAPHIA.

Σωπείλις est captiosum disputandi genus. Nam ab euidenter veris, ut Vlpianus tradit, per breuissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ manifestè falsa, perducitur. Nomen inuenit, quod in acervum sensim crescat, uno velut, ut M. Tullius loquitur, addito grano. Σωπείλις enim vel σωπός, acervus est. Symbolum hæc omnia explicat: Hieroglypton sub oculos adducit. Sunt enim grana novem, quæ per se nihil sunt. Nondum enim sunt decem, sed si minimum, quid, addideris, unum puta, sunt decem. Denarius autem numerus, radix est, & jam non per minuta, ad summam rerum, ascendendi principium. Quocirca ut nec pertinaciter repugnare, ita nec temerè omnia, instituto de re seria sermone, concedere debemus. Si hoc in verbis cauendum est, ne nos irretiamus ipsi; quantò magis, in re cùm publica, cùm priuata? Certè minima interdum præterita, aut neglecta, ærumnarum gravium causa existunt. Atq; hinc est sublatus, è medio, Athenis, puer infans licet, cornicum oculos configere solitus: & neglecta cura Alcibiadis, curæ postea fuit, omnibus Græcis & Barbaris. Ita nos nobis nostro malo: & delitijs suis Resp. & Rerump. Principes, suo periculo, indulgent. Leuis iactura Auiculæ est. Atsi puer ille, in virum euasisset ausus esset, tum in ciues, quod ante in aues. Et si auiculam, quam in curiam intulerat Alcibiades, parùm memor ordinis, solutam fortè senatus non collegisset, sed castigasset leuitatem hominis; moderatius foret & Senatu & Populo usus. nec accendisset bellum, quo patria conflagrauit.

XV. HIE-

XV. HIEROGRAPHIA.

CruX Florentina aut Pisana verius tam Coronata, quàm pileata est. Corona non regia, sed principali: & pileo non seruili, sed Cardinalitio. Res nec noua, nec stupenda, in familia Medicea. Symbolum licet vetus, pium: & in hac impietate stupendum quoq; A Domino factum est istud. Refert enim Cardinalis, a quo accepit, acceptum Domino Deo, genus & honores. Meritò inquis. Sed quotus quisq; ea est gratitudine animi in Deum? Et si omnes sunt, quos veluti è grege legit, & ad honores, subuexit Deus, cur non meminere beneficij diuini & conditionis suæ? Aut si meminerunt, cur voluptates suas sequuntur, & non obsequuntur Legi, id est voluntati Diuinæ? De Magistratu instituta est quæstio si in nos institueretur; ne nos quidem purgare nos nobis possimus. Tantum ab est, ut Deo. Quamobrem non iniuria admirabar, in summa fortuna, summam moderationem.

XVI. HIEROGRAPHIA.

Adolet hîc non Aâron, sed Ioannes Mediceus, thus Deo: & magna cum pietate, tum admiratione, inquit: Quò sum vocatus? Et meritò inquit. Non enim leue est, seruire Deo non Regum alicui, cui vel vitiosa assentatione, vel simulatione virtutis, operam probes; sed quem nihil fugit, Regi regum Deo, Cuius cui in mentem venit, non potest, non animo turbari, & corpore toto inhorroscere, quoties ad altare accedit.


XVII. HIEROGRAPHIA.

Eclipsis Lunæ est defectus luminis Phæbei in Luna qui accidit, cum ipsa Soli ex diametro, opposita, vel cum exigua latitudine vel tota, vel aliqua sui parte in umbram terræ intermediæ, incurrit, lumen enim tamdiu amittit, dum suo ipsa motu ex umbra terræ eluctetur & collustretur, quo solo lucet, iterum a Sole. Sub hisce tenebris Lunæ, celat Mysta, & velut caligine inuoluit animi sollicitudines, quas quod P. Iouius non declarat, per me non eliminabuntur. Nam si tempus aperuit tum animo recondita; me Mystagoga non est opus. Si non aperuit tempus; falli qui possum, nolo fallere Lectorem. Verum enimvero non animi tantum anxietas, sed & fortunæ anxietas difficultates per Eclipsim intelligi possunt. Et virilis animus vel sua virtute fretus, vel spe in Deum coniecta, non minus verè, quàm grauitè dixerit: Hinc aliquandò eluctabor. Multa profectò sunt constantiæ humanæ exempla, plura documenta fiducia diuinæ. Marius quantis ex periculis euasit? Reuertere ab exilio Demosthenes & Cicero. Danielem ex morte eripuit Deus. Et me maiori miraculo idem Deus in custodia, non Leonum, sed hominum efferatorum sustentauit: ac tandem à potentioribus æmulis seruatum liberavit, & vindicavit in suam solius potestatem. Deus bone & potens; quàm bonus? quàm potens es? Diuinæ Laudis gratia hæc adscribo; sed & consolationis humanæ. Nam ferre qui potest; superare & potest injurias: Deus autem & vocatus & invocatus, duris in rebus, subsidio venit celerior vocatus. Ita vult, quod volumus, si ritè volumus.

C


XVIII. HIE-

Siue de arbore, Mysta, siue de Hedera loquitur; verum est Symbolum: vix nata sustentor. Nam arborem Sol a stirpe fouet: Arbor hederam. Nec obscura est, clara imago, aut latens sententia sententia. Nam ut sol arborem, & arbor hederam sustentat; ita se a Pont. Max. prouectum, huic à Deo ad illud honoris fastigium, intelligit euectum. Cæterum Hedera Festus dictam putat ab hæere: alij ab edere. Prima quidem breuis est, & arbores exest. Mira tamen adhærendi vis & natura. Nam thyrsis ad id instructa, Theophrasto videtur, & non modò circum arbores, & muros repit; verum etiam in cornibus cerui enatam (ego fractam alicubi & adglutinatam puto, non enim marcescit intercisâ, ut docet Plinius) naturam animalium persequens, Aristoteles scribit. Miratur Plinius Hedera, siue edera locum esse, non dico in sacris, verum etiam profanis in locis, quod commoda coniugis ad se trahat, & exsugât, quasi id non facerent, qui facere non deberent, præditi ratione homines. Quod autem lubenter serpentes serpere, sub umbra Hedera queritur; injustè queritur. Semper enim sub umbra bonorum, mali latent, imò Lucent, & fulgent honoribus. Hæc pro Hedera imò Mysta dicta sunt. Licet enim florens inuenta, prudens Hedera utitur, qua Liber se, Alexander exercitum, vulgò olim templa coronarunt. Semper enim virens, maius quid, quàm animo anticipemus, promittit.



Cardinales S. Romane Ecclesie

*Hippolitus Medices Florentinus Clementis VII. PP. frater Diac. Card.
S. Laurentij Archiepis. Auinonen. et Montegalen. S. R. E. Vicecancell.*




*Hippolitus Medices Diac. Card.
S. Lau. Archiep. Auinonen. et Monteg.*

*Ludouicus Estensis Presb. Card. S. Aga.
Episco. Ferrarien. Alpho. Ducis Fva.*



*Aloysius Estensis Diaconus Cardinalis S. Eustachij. Frater Hercules
Ducis Ferrarię.*



XIX. HIEROGRAPHIA.

Ingressus inquit, & haud dubiè, speculam istam, a fundamentis, ex vivo marmore, ad tantum fastigium subductam. Et non regressus. Speculam dixi, propter Hypæthrum & perforatum etiam fenestris supra culmen. Non Pharum, quod hæc maritima sit. Non Carcerem: patet enim. Et nemo sapiens malè sibi ominatur. Quò igitur aspicit Mysta, qui nos de turri despicit? Ad animi constantiam, fodes. Semel enim meliora, licet ardua secutus; nunquam debilitate animi, aut difficultate negotij terretus destitit ab incepto. Tantum animi robur propositum nobis duca- mus, non modò ad intuendum, verùm etiam ad imitandum. Nam a- nimo in rebus magnis dificere, & velut, de alto spectantibus, suffusa ocu- lis caligine ac horrore, mente collabi; pusilli non virilis animi est. Est quando fortuna vim suam frangi non vult, quo tempore, cedere impo- tenti rerum dominæ, non magis in vitio est, quàm de aduersanti sub mit- tere, & in tempore contrahere, vela tempestati. Vi, inquam, de statione, depelli possum, de honesto nec volo nec possum.

XX. HIEROGRAPHIA.

Emergit pressa, quæ? Pila in conspectu pugillaris imò salit, exultat, ad astra fertur, impulsâ. Nec minus minor licet, palmaris pila. Sed ventosam illam Mysta exhibet. non modò quod familiarior sit Italis, ve- rùm etiam, quod, ut hæc vento, ita homines vulgò, aura populari feran- tur, nec ventos nacti secundos, cupiditatum voragini statuunt modum. Atq; de hoc hominum genere loqui Mystam, mihi persuasi: quod Pila tonimento fulta & quasi durata, constantiæ propior sit, quæ de compluvio excepta, nunc palma, nunc plaga extenta sublimius & longius excutitur, nec inflanda roties, ut illa, velut refocillanda, in deliquio. Nam hoc ipsum ad fractos & degeneres animos pertinet; ut nunc castigentur, nunc consolentur.

XXI. HIEROGRAPHIA.

Quamquam stella hîc perlucida sit, & sola inter omnes appareat; Io- nius tamen, rem totam obscuram Multitudini, & paucis, quos Littera- tos vocat, intellectam putat. Nam verba Horatij sunt, & rapta, ut fit, ex integra sententia quæ est: Micat inter omnes, Iulium sydus. Et jam micare incipit, Symbolum: ac quasi illato igne, obscuritas in clarescere. Sed quod Iulium sydus? quod velut Luna, inter minores ignes lucet? C. Julius Cæsar natus est ad iiii. Id. Quintiles: Hæc clara natalia Mensi postea nomen dederunt. lege Svætonium, & consule Mathematicos, quo Horoscopo. Noster enim Mysta, Iuliam Gonzagam, miratur: & ut Ve- nerem Horatius ceteris stellis, quæ, cum Solem antegreditur, Lucifer: quando sequitur, Hesperus dicitur, sic ipse omnibus matronis anteponit. Malim in alio occupatum tale & tantum ingenium: quid enim cano muliebri, cum celesti lumine? Nam potest comparatio extendi ad dig- niora. Indulgeamus amorì & ætati: semel enim si non pluries, omnes
in sanivi-

17.
insanivimus. Reuocemus modò in memoriam, *εὐφροσύνην* meam in proxima Hierographia, si tamen mea, quam Græci & Latini fecere tanti; ut nihil magni aggredierentur priùs, quàm sibi suisq; precarentur bene. Plato sanè cum frugalitatem Spartanorum, in sacris probat; cum magnificentia Græcorum, comparat eorundem, imò antefert, vel nomen vel omen. Non enim minus fuere parci verborum, quàm rerum. Hippolytus certè Mystra hîc noster non natalicium, at funebre sydus Iulium inauspicatò seruans; vel accelerauit, vel auguratus est fatalem diem. Cometes enim Cæsaris funeri, ut plerunq; magnorum Principum illuxit. Et in tabula pictus, quod in celo fictus, Hippolyto portendit. Extinctus enim paullò post in fundo Iuliæ, ut Pindarus in genibus pueri adamati.

XXII. HIEROGRAPHIA.

Q. Smyrnæus, duodecimum certamen Herculis, ut cetera breuiter cum Dracone insomni commemorat: Præmium victoriæ fuit, Mala Aurea. Hoc Symboli gratia scribo. Non enim Palma ab insomni Dracone custoditur, sed virtute paritur, & cum tui simili, homine non portento, tibi de palma, de decore, de victoria res est. Palmam pro victoria non primus accipio. Nam ferre palmam, usu jam olim receptum est. Et si tibi cum potentiore hoste res est, ne trepides: sæpe enim exigua manus, maximas hostium copias fortiter, fortunateq; profligauit. Nec hercle Luxuries, etiamsi bellum sit cum debiliori: nunquam enim hosti deest voluntas nocendi, & tua securitas dat facultatem. Hoc a Mystra dictum, a nobis non malè intellectum puta. Quid verò Palmam sterilem proponit? Meo, quod sentio, quàm exiguum sit, iudicio: quia Virtus se ipsa contenta est. Id quidem Zeno non omnibus peræquè probat. Romani tamen, recta natura & institutis, non operosa doctrina, quamdiu illa valuerunt, Laurea corona triumpharunt. Ac ne principes modò decus spectasse existimes, ne civica quidem aut muralis, quæ tanto periculo pararentur, erant pretiosiores. Ita Romæ, ne miremur istic tamdiu imperium fuisse, pensabantur omnia, non utili, sed honesto.

XXIII. HIEROGRAPHIA.

Altiora citimo celo, est ipsum cum orbibus suis undecimum celum. Quis verò supra nubes Latus altiora petit? & accenso funali quid scrutatur? Non internuncius famosi Iouis Mercurius: nec enim pedibus alatus, aut caduceo armatus est. Mihi videtur esse Animus Mystræ. Nam virorum pietate illustrium animus in celo, non in terris versatur. Et quid nos versamus terras, aut in terris? Quærimus, quæ perdamus, aut seruata nos perdant. Meliora quæso. Et eâ me ipse admoneo verarum & dignarum homine Christiano meditationum, quanquam in exemplo, documenti satis sit. Funale autem manu tenet, non quod luce opus sit, ubi omnia collucent syderibus; sed caritatis vim, & ardens desiderium, summi & Aeterni Boni non potuit clarius explicare. Ac ne nimium nugemur, Prometheus est, qui non ascendit cœlum, sed descendit cum fatali igne: ne quæ supra nos, rapiamus ad nos.

XXIII. HIEROGRAPHIA.

Sic tua nos virtus (quencunq; tandem Myſta affatur) trahit, retinet, deuincit ſibi; quemadmodum Scombrus Alaufas ducit, & quo vult amore ſui ductas rapit. Quod ſatis cauſæ viſum eſt Gallis, ut narrat Bolognius, has virgines, melius meretriees, illum Lenonem ſi dignè, appellandi, quanquam nonnulli dubitent, ſitne idem, qui in Gallico mari capiuntur, & per præpontidem qui Plinio teſte in Pontum influunt. Gallorum nomenclatura eſt noſtræ interpretationi commoda. Nam & Socrates ſæpe à corporis amore, in admirationem animi, cuius bellum domicilium exarſit. Nec Plinij teſtimonium à vera ſententia alienum eſt. Nam Byzantinis, Regem Scombrorum videre, quod felicitis augurij foret, in optatis erat, credo propter ubertatem. Cæterum videre unum ſemper ex omnibus præ cæteris, excellere: nec ex Scombris modò: latè enim hoc per omnes naturæ meatus patet; argumento eſt, Vni in Natura & ſupra Naturam deberi principatum Deo. Magnum naturæ miraculum. Quanto admirabilior, qui naturam ita condidit? imò venerabilior, ut in natura tota, & omnibus naturæ partibus, quo, neſcio, modo appareat, & ſeſe benignè comiterq; oſtendat? Maxima pars hominum, unius imperium ſequitur. Et ſi Scombros non tantum conſortes generis, verum etiam alieni ſequuntur, non leue momentum accedit ad maiestatem Regis. Natûra enim expetere videtur imperium unius, non in unam tantum nationem.

(*)



Cygnis mali? quos volucres ceteræ omnes diligunt & observant; Pythagoras ab animantium esu suos reuocat. Et sine disciplina Cygni ab omnibus sese abstinere. Sed hunc amorem ceterarum avium, Aquila persequitur odio plusquam Vatiniano. Vtinam inter Homines, inter has aves certè, ut scribit Aelianus, vincit iusticia. Hinc est, quod Mystra Symbolicos: Sic repugnant. Malim, repugnat: Nam si ne Hercules quidem, cuius nomen refert Cardinalis, contra duos; quid novi à duobus distineri, superariq; Aquilam? Repugnant tamen legendum est: quod duo Cygni, alas Aquilæ, singulæ singulas, mordicus stringant, & ipsam enecent dolore. Et paulatim capio, quid velit ipse Card. Hercules se quidem amantem pacis, si tamen cogatur, non defuturos gentiles & socios, qui contra potentiolem libidinem, arma & animos coniungant.

XXVIII. HIEROGRAPHIA.

Bella gerant alij. Verba Helenæ Ouidianæ sunt, quæ in quem torqueat Franc. Gonzaga, Oedipus divinæ. Roscellus ex fonte non sumit, forte ut ab exprobratione lectorem, ad probationem sententiæ suæ traduceret. Ipse, licet pacis studia esset amplexus, vigere tamen in se patritas auitasq; virtutes, ostendit: dum Aquilam, sub qua vicerant, in furculo aut ramo Palmæ collocat, insigne gentilicium, & signum militare Imperatoris, ut ut colore vel forma variam. Non enim degenerem columbam Aquilæ generant. Ego me sacris, & sacrorum præsidi Deo deuoui. Si tamen lacestieris, reuiuiscere in filio patrem cognosces. Desine bilem mihi & tibi perniciem mouere. Hæc loqui ab elato animo virum memorabilem existimo. Quem verò increpet, ego non magno opere indago. Sciat per me quæ ad laudem bonorum spectant, Lector. Quæ ad vituperationem, ignominiam, labem ullius pertinent; obscurare malim, quam declarare.

XXIX. HIEROGRAPHIA.

Hercules cum Hydra congregitur. Nota vulgataq; fabula. Nam licet Naucrætes Erythræus, septem: Zenodotus Ephesius, nouem: Heracles Ponticus, quinquaginta illi capita fuisse tradiderit; belluam multorum capitum extitisse, omnes fabulantur, & uno truncato, renata confestim esse dupla, ni concidum colli thyrsus, ignis vorasset. Ad hanc difficultatem accessit camer. Pereundum igitur Herculi erat, duorum violentiæ, solo exposito: si non Iolaus propè opem tulisset. Explicemus nos fabulæ cautibus. Mystra & se & sui similes viros animat exemplo Herculis, aduersus quamuis & licet monstrosam, horribilioremq; humana vim, quod si non satis est, ad colligendos erigendosq; animos, aut lapsos metu, aut difficultate consternatos, grauem illam sententiam, veluti scipionem adhibet: Tu ne cede malis. Nosti quæ sequuntur apud P. Virgilium. Ita præter exemplum fortitudinis, habemus documentum sapientiæ. Licet & in ipsa lucta plus ingenij sit, quàm virium. Motum enim malum, tollendum est: aut non mouendum. Ac ne puerorum hæc primùm audientium instar, in fabula hæreas; plebem Demosthenes, belluam

belluam multorum capitum nominat, ut Magistratui diligenter videndum sit, quid agat: quo in loco versetur: & quibuscum deniq; habeat negotium. Desinit quoq; esse fabula, hæc de Hercule fabulosa narratio, in vita priuata, si obliuione, veluti igne obruamus quas nequidquam exercemus simultates imò omni in re siue publica siue priuata. Nam fibræ multæ, sunt in omnium malorum radice.

XXX. HIEROGRAPHIA.

Hic scapus est, sic enim Vitruuius appellat columnam perpendiculariter basi insistentem: & sub basi stylobata fulcimentum illius: epistylum deniq; modulus, qui scapo imponitur. Non hæc docendi, sed notandi causa a me dicta sunt, ut nobis expeditiora sint, quæ Mysterijs inuoluta cernimus. Sic immortalis sum, inquit Mysta. Qui verò? ut scapus stabilis. Quo iterum pacto stabilis est scapus? stylobata. Videor sensim capere, quod Mysta sub columna recondidit: se lucem illam celestem, quam collucens stellis Epistylum declarat, & vitam beatam sibi promittere, a stylobata hoc est, fulcimento salutis omnium nostræ Iesu Christo. Nullum enim aliud fulcimentum esse immortalitatis, vel excogitari potest. Ita omnia Mundana sunt vana: et ipsa mundi Machi-

na non potest esse æterna, quod composita. Nam ante compositum, est simplex. Columna autem hoc voluit ostendere,

quod conspicuo loco posita, conspicua sit & non

omnino dissimilis similitudo. Sub Py-

ramide autem Reges Aegypti,

supra columnas conditi

sunt Imperatores

Romani.



Scipio Gonzaga. presb. Cardinalis et Patriarcha in Hierusalem :

Rainulius Farnesius. presb. Card. S. Angel. et maior penitentiarius :



Alexander Farnesius. presb. Cardinalis. Episc. Ostiensis et Vulturensis. S. Collegij Decanus. S. R. Eccl. Vicecancellarius. Legatus Patrum. Protator Arrog. Lusit. et Pol.



Rodericus Borgia Valentinus. Diac. Card. S. Praxedis. Alex. vii. P. P. nepes :

Hieronimus Rouerens. Frat. Duc. Ioan. Mar. presb. Card. S. Petri ad Vinc.



XXXI. HIEROGRAPHIA.

Potius mori, quàm fidem fallere. Magnifica verò vox & tanto viro digna. Fides autem est duplex, altera Theologica: altera ciuilis. Nam de Historica, & febus in alijs credulitate, Myſta non loquitur. Et quam manũ signum Crucis tenetis, Theologicam, ut dignum est persona, quam gerit, clarè præferat: & hoc ipso, fidei præferat ciuili; est tamen hæc maximum ornamentum fidei Christianæ. Et quis inter Christianos merito referat? quorum doctrina, nihil, quod non mite sit, suadet, vel aduersario nostro, teste Marcellino? qui fallere, mentiri, peierare, & violare, ut breuiter finiam, audet fidem, iusticiæ fundamentum? cum ne inter homines quidem numerandus sit, qui pacta humana violat: & iusticiam, sine qua res humanæ stare nequeunt, euertit, funditus. qua collapsa, pietas, ubi se sustinere possit, non inuenit locum. Deo igitur, in cuius verba adacti sumus sacramento, seruemus, ut pat est, inprimis fidem; sed & his, quibus cum nos consortio generis Deus coniunxit, & in hoc domicilio orbis terræ sociauit, non tantum datam, sed & debitam, etiam si non datam redintegremus. si debemus, quibus non obstringimur peculiaribus pactis; quantam debemus, quibus obligamur, Dei vicarijs, terræ dominis? Longius non profero lumen in tanta luce.

XXXII. HIEROGRAPHIA.

Suaue lego: & video spiritum, supra non aquas modo, sed aquas & terram, imò Machinam, quæ terram, aquam, aërem, & ignem, nec elementarem modò, verum etiam celestem uno eodemq; ambitu complectitur Mundum. Quæ cum video; audio discordis Naturæ (quid enim tam dissonans, quam elementare & celeste? mortale & immortale?) suauem oppido concordiam. Si quis non audit, fit familiaritate concensus. Nam ut his qui ad catadupa habent, obsorduerunt aures; sic & nobis euenit, quibus celestia venerunt, ex quo familiaria, in contemptum. Celare tamen nefas est; quæ fas audire, Sed ex quo, Spiritus, qui implet orbem non terrarum modò, quem vel cernere, vel audire, suaue est; animi recessus, non hircos oculorum recludamus. Et videbimus confestim quæ expetit animus, animante omnia Spiritu, concordiam & ubertatem. Nam annonæ felicitatem discordia elementorum: corporis sanitatem, humorum inæqualitas, animi tranquillitatem, meditationum diuersitas: Reipub. sanitatem opinionum discrepantia, sola non alia causatur causa. Myſta, cuius longe augustior mens est, non hæc leuia aut mundana consecratur, ex quo S. Spiritum supra verticem Mundi collocat; sed primæ rerum originis meminit: & cum Materia ac formâ, vniõnem, non Priuationem, sub aspectum adducit. Eodem enim, quo coaluerunt, Spiritu res conseruantur. Suauis autem est S: Spiritus cum recordatio, tum operatio. Ita nihil est, sine Spiritu: nihil vivit sine Spiritu, nihil spirat sine Spiritu: nihil sperat deniq; sine Spiritu. Hanc suauitatem non aurium sed animi percepit aut præcepit Myſta; sed & aurium. Nam quæ menti suaui sunt; sunt suaui & iucunda auribus quoq;.

XXXIII. HIE.

XXXIII. HIEROGRAPHIA.

25.

Homo non est, quem hic vides, parma succinctum; lat scopus hominum, de dexteritate certantium, qui alia, atq; alia forma, hoc etiam tempore formari solet, ut pubes ferire rectè discat. Quod Græce audis; aude & sic feri, si audis & audes. Sunt enim Agomemnonis Homeriani verba duo ad Teuerum, latentem sub scuto Aiakis, & feliciter ferientem Troianos. Non enim ad hunc pertinent modò, quem ea tempestate pietas pro Græcia in Barbaros armarat; verum etiam ad omnes, quos si non necessitas, pietas communi periculo involuit, sed & versantem togæ, non militiæ tantum. Nec enim aliud dicit, quàm: Hoc fac & vives: & tibi, si sic feceris ut maximè cades, supererit Resp. Hæc ego de meo largior. quod prodigi animæ sint, quorum animi sunt studio gloriæ inflammati. Non quod sitiam horum sanguinem qui se Dijs Manibus pro Rep. de vererunt; sed velim latere sub scuto Aiakis. & injustam vim, justo præsidio propulsare. imò velit Resp. Non enim omnes sumus Aiaces, sed quidquid sumus; Reip. debemus. Et quidquid sumus; eius maximam partem Resp. debitam reposcit. Quid non Deo? qui nos in Rep. & hac luce collocavit, alios Teucros, alios Aiaces? Nos & nostra omnia sine controuersia. Verùm enim uerò, ut multum est, & non illaudabile, in arduis audere: ita temeritas & impudentia, quarum illa rebus, hæc nomini obest, semper absit. & nostram stationem tueamur, si Rem tueri publicam, & non nostram evertere volumus.

XXXIV. HIEROGRAPHIA.

Cùm viderem Hierographiæ faciem hanc ab illa vix differre, aut sententia, velut animo convenire; contraxi utramq; & breuitati studens, appellavi libro superiori Geminam. Hanc breuitatem meam officere lumini suo ratus sculptor rogavit, ut singulas illustrem. Quod prece non pretio adductus, in hoc otio, lubens feci. Quamobrem eiusdem Symboli non diuersum, si non figura, Hieroglypton aggredior. Scopus enim est quem in suggestu (sic appellare lubet murum istum ex vivo aut viridi cespite, non latere aut sole aut flamma excocto, propter sagittas) medium vides, ad quem collimant jam olim, vel exercitij, vel præmij Causa. Nec tam differt forma scopus hic, a priori; ut aliò flecti potest idem Symbolum. Diversis placent diversa, nec ita palato, ut sententijs dissentimus. Hos belli illos pacis studia delectant. ne persequar discrepantium studia & instituta. Ac cùm non minus plectro suo gaudeat Musicus, quam sceptro Rex; conuenire possunt in eadem ciuitate, qui non conueniunt in disciplina. & semper magis concordēs sunt, qui studijs dissentiant. Nunquam enim idem sentiunt, qui eadem studia consecantur. Acuit quidem aminos mutua æmulatio, hætenus non reprehendenda: segnitiam quippe fugat, & quasi concitatis ad laudem subdit calcaria verum si hæc in ambitionem exardescit; odium non ciuile oritur inter priuatos, & plusquam ciuile bellum, inter ciues. Huic malo occurrit Mylta, cùm inquit: Huc collima vult enim quo te natura trahit, aut disciplina ducit. Sed quod debili ætate & iudicio, non quod semper de-

D

bemus,

bemus, vitæ geuus ingredimur, ut M. Tullius, in præclaro illo opere de Officijs obseruat, id pete, vnde Laus petitur. Honestas enim est aut deberet esse principium deliberationis, terminus actionis.

XXXV. HIEROGRAPHIA.

Si Pictorum eadem licentia est, vel Ouidio vel Horatio iudice, quæ Poëtarum; quid auersetur in formam hanc? qui Hydram paulo antè, deformiorem multò accepimus. Traduximus Hydram ad usum publicum & priuatum. Et fortassè in hoc capite aliquid erit, quod Magistratum, caput Reip. & membra, Populum vel iuuet, vel delectet. Intendamus oculos modò. Tres oculos habet nyctantes imò clausos: totidem lucidos & apertos. Quid hoc monstri est? Quasi verò non centum oculis Poëtæ Argum donarint, ut minus monstrosum sit hoc caput quod quia non fabulosum, sed Mysticum est; intueamur paulò accuratius. Primus oculus & quidem videns frontem occupat non procul à cerebro. videt itaq; clarè istic, ubi rectè videntium plurimi cæcutiunt. Qui suo loco sunt, id est, in specula & quasi custodia corporis humani; horum sinister patet & læua sede cor est, arbiter animi humani. Idem habitus est oculorum intra iugulum & pectus, quo scilicet loco videndum est, ne luxuriæ fomentum ingeratur: & simul, ne laxemus frena iracundiæ. Hoc autem unus, non minus benè, quàm duo curat. Nam & nos dum collimamus; altero oculo conuiuemus: & quasi dissipatas ac diuisas videndi facultates in unam contrahimus. Hic videor aliquem videre, a Capite in me conuersum. Quid igitur clausi oculi? quod horum officium? si inutiles; quid ficti? si ficti non indoctè; doce & explica usum. Quis ego sodes? Ad speculandum, non docendum veni. Docet nos usum oculorum, quos studio clausit, Mysta, Hispanice. Clausos non mirare (id est non censere clausos) a rationis causa. Sic symbolum interpretor. Nam Agricultura oculos apertos requirit. Qua igitur de causa censemus oculos esse obductos? Alexander unam aurem pandebat accusatori, alteram claudebat, quam scilicet reo seruaret calumnia intactam & impollutam. Cui hinc finguntur, qui pinguntur oculi obserati? Curæ non seruili, sed liberæ atq; grauiori. Videmus enim sæpe eos nihil videre: quos de rebus grauioribus meditationes occupant. Quos cum videmus; videmur intelligere, quid oculis non tantum apertis, sed & clausis Mysta velit. De Numero autem nulla relinquatur dubitatio, propter Trinarij Numeri religionem atq; celebritatem.

XXXVI. HIEROGRAPHIA.

Huic nihil mortale In optatis est; cui optatum: Duret in ævum, ut ex Symbolo liquet. Quid igitur optat durare ævum, & existere sempiternum? Non vitam hanc, quæ mortalis est. Non ornamenta vitæ, quæ non possunt esse diuturniora vita. Non memoriam, quæ Mortalium non potest esse immortalis. Purpureo Galero Montem inumbrat. Et ex hac umbra lucet, se dignitatem suam deferre digniori quæ pietas etiam non in pietate nostra viguit. Nam C. Iulius Cæsar diadema sibi oblatam,

Ioui erat delaturus, si per Pontium Aquilam licuisset. Quis verò hic? præter Montem enim nihil cerno cui Mystra quo se spoliat, decus consecrat Christus sine controuersia, ut de Christi Antistite, & ex re ipsa, coniectare debemus; aut quod Christus montem plerunq; ascenderit vel docendi vel orandi causa. Symboli quoq; suscitans nos à terrestribus & perituris curis, ad celestes, digniores hac forma corporis in celum erecti, imò Anima hominis, ad imaginem Dei, facta: aut quod Christus ipsa Petra fuerit, quæ comitaretur Synagogum. Si Christo honorem defert, ut debet, Montem intelligit, in quo Christus docet, non Petram aut ipsum Christum. Nam immortalitatem precari Deo immortali, absolum à fide atq; ratione est. Monti autem, id est Ecclesiæ militanti felicia optare, non modò pium est, sed & necessarium. Nam ut Mons omnium ventorum flatibus, ita hæc omnium hostium, externorum & internorum obiecta iniurijs est.

107
28

Cardinales S. Romane Ecclesie

Carolus à Lotharingia Episc: Card: Ostiensis et Velitrensis S.R. Imp: Princ:

Matheus Langus Presb: Card: S. Albe Arch: Salzburg: et Rom: Imp: Protector.



Otto Truchses Presb: Card: S. Baltina S. Rom: Imp: Princ: Episco: Augustensis



Christophorus Mastutius presb: Card: S. Martini S. Rom: Imp: Princ: Episc: Tridentinus



XXXVII. HIEROGRAPHIA.

Manus Sacerdotis est, ut ex tenia cruce signata, stolam vocant, patet: quæ gladium flammantem gestat. Audaciæ plusquam sacerdotali adiecit verba Card. Lotharingus nihilo abiectiora: Auctor ego audendi, cuius tandem? Annales consule. Gladium Spiritus permissum Sacerdotibus nemini dubium est. Et hic videtur Mysticus gladius vel acceptus ab excubatore Paradisi, vel eidem debitus. Sed cum Elias, cum Samuel expediuerunt arma non Mystica, aduersus impios & Dei hostes. Negant Sacerdotibus gladium: qui gladios in Sacerdotes stringunt. Quod si idem hostibus nostris persuadere possemus; næ incruenta victoria subigeremus omnes gentes, atq; nationes. Nunc difficulter eius fidem ulli facimus. Nemo enim ferè est, qui non sit vim vi, si possit, propulsaturus. imò omnes ferè vim alijs illaturi, si liceat impunè. tanquam aut facere aut pati iniuriam necesse sit.

XXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Perfossa hæc non est, sed oculata Manus, digitis attingens obeliscum. Novæ dextræ, nova sententia est: Fide & vide. Si tamen dextræ nova. Blandienti enim adolescenti multa, Plautianus leno respondet: se manus habere oculatas. rem pro verbis flagitans. Et sententia etiam tota, non ita nuper nata est. Epicharmus enim vetat fidere. Tantum sobrietatem commendans. Ita nova non sunt, sed renovata. quæ alicui nova, prima facie videbantur. Hoc autem jure inquireret aliquis: quid? quod moneat Mysta: Fide & vide. ac non potius, è diuerso: Vide & Fide. Nam Lenoni fidem factura erat, visa & contacta manu pecunia. Mihi videtur Lango aliud, ut par erat, quam Lenoni propositum. Hic enim de questu, & quidem sordido laborat: ille de, non suo, sed aliorum commodo. Quid cum pernicie adolescentium, salutem civitatis comparo? Mat. Langus inter opinionum varietates, jactari veritatem, & veritatis studiosos simul periclitari animaduertens, Fide, inquit, & Vide. Nam qui fidit, & de Christiana pietate nihil dubitat; videt singula capita, etiam si rationem superare videantur, rationi esse conformia. ut præter alios Nic. Cusanus pluribus docet. Nec alienum est à veterum doctrina, principia quædam scientiarum statuere prima & ἀμείωτα imò si Mathematicis sua axiomata negaris, non poterunt sua tueri, quæ sola volunt sciri posse. Nos etiam de vera Religione, scripsimus nuda ratione: ex quo inclinatis rebus omnibus in ruinam, sacrarum literarum vacillat auctoritas.

XXXIX. HIEROGRAPHIA.

Quam difficile sit duobus dominis seruire; Christus rerum omnium sciens & dominans, exemplo declarat. quanquam auctoritas, satis momenti afferret, ad rei probationem. Est igitur, & semper erit laudi Card. Trucesio, retinuisse benevolentiam Pontificis simul & Cæsaris. Quanquam enim deferbuit illa, de dignitate, Historijs celebrata contentio; magnæ tamen integritatis est, in quam te semel, insinuaris; vtriusq; retinere

nerc amicitiam. Mæcenas & si quis alius apud Horatium conciliabat sæpe Antonium Augusto. Sed eo perduto, huius quoque gratiam aliquando perdidit: & in Vrbe, velut in exilio vixit. Trucceus igitur rem memorabilem, imagine insigni ad posteros transmisit. Claves enim geminas decussi forma coniunxit (quod Pontificiæ felicitatis insigne est) & totidem Aquilas (quod Romani imperij signum) adiunxit. Qua re satis ostendit, se obsequio honesto, non dirimere, at refarcire pacta conventa potentissimorum Principum. Id autem per se insigne, sit comparatione insignius, vulgò enim calumniando & blandiendo, non rectè captant, sed obliquè insinuant sese, in Principum familiaritatem. Quæ artes tolerari possent, si sibi modò consulerent: & non huic alterum proderent, utrumque perderent. Alit ea portenta, ætas etiam nostra, & aluit semper, ubi malæ artes vigent, vigueruntque olim, aula. uti apparet in aula Philippi Regis Macedoniae penultimi. Rex igitur Demetrium occidit: & cui noluit detectis insidijs, Perseo imperium reliquit. Ita nostrorum virtutes, & non nostrorum vitia inter se comparo; vt rei dignitas, sine ullius contumelia, magis illustretur. quemadmodum solis jubar, ex densiori caligine, clarius erumpit, & resplendiscit. Verùm enimvero, inter dominos duos jactor, neutri displicere, alteri placere magis velim, aut utriusque simul; qua id arte, qua industria, quomodo consequar? Non mala, cuius eventa semper sunt mala. Non simulatione, quæ non potest esse diuturna. Sed animo candido & sincero amore. Quod ego non doceo, sed disco ex symbolo: Sic his qui diligunt. Quid tandem? Vt quemadmodum hæc insignia coeunt inter se; ita Principes diuersi redament eum, à quo se vident citra fucum, integrè amari. Nulli tam infesti hostes fuerunt, quàm Cicero & Antonius. utriusque tamen placuerunt Atticus & Varro. pepercitque utriusque Antonius, qui omnes & omnia Ciceronis sustulit.

XXXX. HIEROGRAPHIA.

Quid jam inter geminas Aquilas pendet Christus de cruce? eodem Symbolo? Difficile est Deo placere & Hominibus: quod Deus honesta, Homines placita etiamsi non honesta expetant. Et hoc feraci scelerum omnium seculo, Regia vix querit, quid Deo placeat: exequitur sine cunctatione, quod probatur Regi imò & Seneca parricidium Neronis excusat: & parricidio stat Tyrannis Turcarum. Quin & Bodinus reprehendit eum, qui in gratiam Imperatoris, noluit fraticidium defendere. Hæc cum legimus, cernimus, audimus; non possumus non amare & admirari eum, qui hero suo fidem seruat quidem at citra offensam Dei. Periculosum est non facere imperata. Quid tùm postea? Nam etiamsi sit capitale; non fecerit, cui potior est Deus quàm homo: pluris fama, quàm vita: optatius semel perire, quam semper pœnitere. Debet autem esse omnibus. Nam Dei cum homine nulla est comparatio: pluris est sapienti fama, quam vita: nec sapienti modò, optabilius semel occidere, quàm rei patratæ memoria, semper excarnificari. Iam seneca, gratia Neronis excidit: passim malè audiuit: & tandem vitam amisit. imò coactus, in cuius gratiam profligauit famam, Numen offendit, ut sibi ipse necem

necem conscisceret. Hæc comparatio Hierographiam Card. Trucesij spectabiliorem facit. Et ego, quod clara virtutis exempla non spectanda tantum, verum etiam æmulanda ducam, si non potui amplificare, nolui minuere dicendo.

XXXXI. HIEROGRAPHIA.

Perit, ut vivat. Non quæro, quis aut quæ? Redit enim sub aspectum Phœnix: & feliciori omine nomen Christ. Madrutius, si non unum, ingens Lumen Germaniæ, imò & Italiæ invenit; quàm infelix And. Bathorius. magnus & ipse vir, si mediocria sapere potuisset. Quæ de fabulosa ave, credidere olim magis, quàm comperere vulgo (Nam quæ Romanis temporibus apparuit formæ propter novitatem spectabilis iudicio Taciti, non conveniebat cum fama veterum) ex Palma videntur orta. quæ & ipsa, Phœnix Græcè dicitur. Est enim quædam, & præ ceteris fructu commendata, quam in Chora, ex se nasci, Plinius tradit. Atq; utinam tu Madruti ex te renascere. Si enim solus non eras, princeps eorum eras, in aula Romana, qui sunt non appellantur modò Cæsariani. Esse autem qui potentissimos terræ Monarchas, sublata discordia, quam serunt huic blandientes, illi obloquentes, utrumq; perdentes, in concordia, amicitia, benevolentia retineant, aut, si opus fuerit, reducant; est è Rep. Christiana universa. hac præsertim tempestate, quæ in mutuam perniciem conspirare, & complanare iter Barbaris reliqui videntur. Sed & in gentili Madrutius reviviscit, cui ad virtutis maiorum renouationem, nihil aliud deest, quàm dignitas generositati maiorum, & in augusto illo orbis terræ consilio, debitus insitæ confessus.

XXXXII. HIEROGRAPHIA.


Barbarorum aliquis, quibus de concordia nequidquam verba faciebat, protulit manipulum sagittarum: & robustissimo ut rumperet, tradidit. Quo in cassum laborante, iussit forte debilissimo ex proximis, ut exemptas, singulas frangeret. Eo sine mora & difficultate, mandatum executo, Hoc illud est, inquit, quod volebam dicere. Concordes vos nemo superaturus est. Discordes & quasi vinculo solutos, contempta civitas, aut imbecillus Rex, sub jugum coget. Simile quid commentus est, non barbarus sed Romanus, Sertorius. Manipulo contentus (quid enim pluribus in re manifesta exemplis opus est?) auctor sim concordie cupidus (sunt autem omnes, qui cupiunt esse incolumes, partes enim sine incolumitate totius, non modò saluæ, sed ne esse quidem possunt) ut Micipsæ Sallustiani orationem legant. quam Imp. Severus, liberis, moriens, legendam misit. jam tum videns inter fratres crepitans odium. Nec aliud Madrutio Mystæ nostro propositum fuit, qui nobis fasciculum ob oculos ponit, & una voce, Vnitas, exponit. vult enim Christianos esse vnos & concordes: contra immanitatem Barbarorum, & seditio-nem civium. Quod vult; Deus faxit. Nos enim qui eius argumenti orationes aliquot edidimus, non soli, surdis canimus.

(**)

Cardinales S. Romane Ecclesie

Louduicus Madrutius presb. Card.
S. Onuphry, Epis. Triden. S.R. J. prot.

Carolus Dominic. Carati presb. Card.
S. Vicitis Archiep. Aunianensis.




Philippus Boncomp. Bonon. Presb.
Card. S. Xysti maior pœnitentiarius.

Christoph. de Monte Aratino Presb.
Card. S. Praxedis Archiep. Messan.



Arcanius Sfortia Card. Diac. S. Georgy, Episco. Albiganensis. F. Francisci.
Marie Ducis Mediolani. etc.



XXXIII. HIEROGRAPHIA.

Qua Columbæ forma, S. Spiritus, hic sedet supra orbem; ipse se Mortalibus exhibuit. Nam cum per se, sub aspectum non cadat, per alitis speciem, candorem incomparabilem: velocitatem incomprehensibilem: fecunditatem incredibilem repræsentat. Quod autem facit S. Spiritus; hoc loquentem hic Mystra facit: Lucem fero. Fert profecto lucem Mundo & immundis cordibus, dispellitq; de oculis credentium, veluti caliginem, tenebras errorum: labem peccatorum. Et nihil lucidi, aut formosi in Mundo, aut ulla tanti operis parte; quod S. Spiritus, non sit architectatus. Tria esse rerum naturalium principia Aristoteles docet præclare. Sed tertium quod Priuationem statuit præter naturam Principij. Quod vnum est; idem æquale est: nec enim aliàs esset unum. vnitatis autem & AEqualitatis, conjunctio quædam est; quæ si priuaret exstantia, quæ sunt; non essent ea. imò nec ipsum esset, si priuatio esset. Est autem coniunctio hæc, vel coniungens ista, in Physicis, non priuans potentiam actu; sed cogens potentiam ad actum. In Metaphysicis verò Amantis & Amati, quod ab utroq; procedat, Amor infinitus & indiuiduus: Verbum æternum, Mentis Aeternæ, licet æternus, in tempore effatus. imò & ipsum tempus, fluxum æternitatis. cum primo Mobili, incipiens motum, cuius, illud, mensura est. Hoc ferè pacto, non priuans forma sua Materiam, aut ipse priuatus exstantia, S. Spiritus Mundo & in Mundo creatis lucem attulit: ostenditq; quod quæq; res sit. Et jam lucem fert nobis, ac renouat corda fidelium, ut dixi: Et ante me Ecclesia canit, magno omnium, concentu & consensu. Nam in lumine tuo, qui est filius tuus unigenitus, ô Pater luminum, vidimus lumen tuum: qui est S. Spiritus.

XXXIV. HIEROGRAPHIA.

Ignem conflagraturum orbem terrarum & Philo tradit, & Nero expavit. Fuit igitur doctrina patrum jam olim disseminata: & creditum fore aliquod eius exitium, cuius aliquod extitisset principium. Si autem aqua perijt olim; quæ sordes eluit potius, quàm euertit sordidatos: superfuit enim seminarium, ut naufragij semper sunt tabulæ; peribit igne. à fundamento, inquam, ne iusta sæpius irrita sit vindex Dei ira. Opponitur enim Aquæ Ignis, & omnia abligurit. An ab effectu Mystra, de causa efficiente prima & principe conijciat hoc loco, dubitari non injuria possit. Nam in vindicta est vindex. Et Numen, Symbolicos, ignis consumens est. Nec ea est superstitio Card. Caretti quæ Medorum & Persarum, aliorumq; fuit, Ignem non modò pauentium, verum etiam adorantium. quod celo lapsus ignis victimas incendisset. Quid jam flagrantius est flagitiorum conscientia? Igitur quem non video; timeo: & terreor aspectu Domini, qui, cum non alius, mentem flagellat, urit & iusto incendio persequitur.

XXXV. HIE.

XXXXV. HIEROGRAPHIA.

Daniel est in cauea Leonum, celebris Historia est. Huic testimonio præsentia Divina, in ærumnis, Mystra sententiam magnificam adijcit: Si Deus nobiscum; quis contra nos? Certè quantò, Deus Maiestate & potentia antestat omnibus; tantò securius vivit, qui in Deo spem collocat quàm qui aliorum gratia fulcitur, aut suis vel opibus, vel consilijs fidit. Hoc autem Deus ceteris præstat; quod omnes & omnia habet in potestate. Iam potentia humana, momentanea est; & si diuturnior, temporanea. æterna nullius Regis aut Populi. Ferarum vis robore humano major est; sed bestiarum nullo ferè negotio, conterunt, vincunt, domant immanitatem. Hic cernis Danielem nullis armis, nulla arte, aduersus potentissimum Regem Persarum defendi: & inter Leones fame etiam efferatos seruari. Qui vero Divinitus, ex quo non humanitus. Insignem miserationis suæ memoriam Deus sæpe renovat. Me profecto non ex Leonum, sed hominum Leonibus efferatiorum faucibus eripuit: & non minori gloria vindicavit in libertatem, ut facile convincerem, si quid ingenio pollerem. Difficilius enim efferos homines, quàm feras domare. Nec ego lenivi. Deus, qui nec prece, nec tempore flecti volebant, fregit. Quod eloquentia nequeo, gratitudine molior. Hæc mihi loco præterenda non videbantur tam opportuno: si enim nihil ad illustrationem; facit plurimum ad confirmationem piæ sententiæ & veræ Historiæ. In hac vita ærumnosa & lubrica, facio & patior multa, quæ animus auersatur. Nihil grauius quàm si Deum offendam, qui me defendit.

XXXXVI. HIEROGRAPHIA.

Mirum Naturæ opificium. Inter omnia admiratione digna, hoc ceteris non minus obstupescendum; quod nescias, pluribusne stellis celum, aut floribus solum sit conspersum. Et ut Sol diurna spatia percurrit; ita noctu micare stellas, lucere, minori, ut par est, face Lunam. Quietem enim hoc tempus, illud labori datum. Hoc opere non Naturæ, sed Parentis naturæ Dei perlustrato; videamus deinceps, quid Mystra noctem pinxerit & noctis, quæ dicebam Luminaria depinxerit. Non hoc spectasse mihi videtur, quod nos cum admiratione spectabamus. sed longè quid admirabilius: Opificem non Opus. non per ambages, ex hoc, illum: ab effectu ad causam procedens; sed ἀμείωτος ipsum Deum. Symbolum enim est: Illuminatio mea. Ecquis? Deus, hæc enim perfecta oratio est: Deus illuminatio mea. Comparatio autem licet nocturna, Sole meridiana lucidior. Quemadmodum Solis æmula, Luna lucescet noctu, & nocturnas tenebras fugat; ita Deus solus mihi in his Mundi tenebris refulget: & animummersum densa caligine, eripit, liberat, collustrat, cum spe, tum re. Ac quod subiecto mari, varias jactat naves, quarum gubernatores, non ita clavum manu, ut oculos in polo tenent; credibile est Mystram cum socijs & propinquis, vel temporum, vel hominum injuria agitatam esse: expertumq; vana præsidia, Dei & poposcisse & sensisse opem, veluti palpitantem, in tenebris lucem. Sic omnia cum Davide consonant, cuius splendida & regia oratio est: Deus illuminatio & salus mea, quem timebo? Nosti quæ sequuntur.

XXXXVII. HIEROGRAPHIA.

Ecclipsim Solis depictam cernis. quam caussatur nobis Luna, inter Solem & aspectum nostrum posita. quod propinquior nobis sit. Quemadmodum enim manus oculis opposita intercipit etiam longe maiores se & incomparabiles, ædificiorum, & montium moles; ita nihil vetat nobis obscurare, minus Lunæ corpus, longè maioris sed remotioris lumen Solis. Quid hac imagine obscurarit veriùs, quam declararit Mysta (nec enim semper tutum est queri) Iovius declarat. suffragatus erat Roderico Borgiæ, in petitione Pontificatus: qui Alexander vi. saluari voluit. Quod autem beneficii sui memoriam extinctam videret; cum sole se comparat, quod sua solius opera ferè, ad id fastigii ille ascendiscet. Cum Luna Pontificem: quod ut illa Soli tenebras offundit, à quo lucem accipit; ita Pontifex eum cum familia extinctum vellet, a quo dignitatem haberet, Ita erumpit indignantis animi bilis: nec omnium stomachus concoquere potest injuriarum memoriam. Sed pluribus, quàm opus est, quæ clarius Italicè Iovius scribit.

XXXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Paul. Iovius scribit se Hieroglypti huius & Symboli auctorem fuisse. Mystæ. Non alium igitur suffitem quæramus. Tabula pura est. & latina magis, quam obscura gnome. Paucis igitur multa. præsertim cum tabulæ eiusmodi non multò prius expositæ, recordari mecum juvet, si lubet. Si fata votis meis subscriperint, explicabo animi mei sententiam. imò subscribant. quod optantis est, votis meis secundis, qua voce significat, se, licet ardua, non tamen iniqua animo agitare, aut concupiscere. Tam autem taciturnum Mystam fuisse notat Iovius; ut ne quidem florens ætate, in Hierographiam consentiret. Hanc tamen recepisse: quod cum animi sui decreto, ad amissim, quod ajunt, planè conveniret.

tanto juventutis suæ decore, quanta ignominia grandes natu effutiant, verba etiam per jugulum reditura.

Hæc comprobatio, absq; ullius opprobrio,
commodo omnium rem claram fecit clariorem.

ss

Cardinales S. Romanae Ecclesiae

Ascanius Sfortia. Card. Diac. S. Georgij Episc. Albigar. F. D. Mediol.

Franciscus Sfortia d. S. Flora Rom. Diac. Card. S. Georgij in Velatro.



Franciscus Theobaldus Visinus. Presb. Card. S. Sabinae Archiepisc. Syrentinus

Matheus Visinus de Monte Fordano. Presb. Card. S. Sabinae Episc. Ostiensis.



Joannes Caietanus Visinus Romanus. Diacono. Card. S. Theodori.

Jacobus Visinus Diac. Card. S. Georgij ad Velu' aureu' Apos. sedis Prototonotarius.



37.

XXXIX. HIEROGRAPHIA.

Huius quoq; Hierographiæ auctor Paullo III. Pont. Max. & nobis Mystagogus est P. Iovius. In bello, quod Imp. Carolus V. cum Duce Saxonix, Langravio Hafsix, quiq; eorum sectam sequerentur, suscepit, adiutus est à Pontifice. qui totus in hoc occupatus, Hierographiam poposcit, rei, quæ in manibus erat congruam. Iovius cum Anathemate Pontificis, fulmen Iovis comparans, hoc ipsum utrinq; acummatum, uti videre est finxit. & Pontifici, ut jactat, operam suam probavit. Nam Pontifex hos Principes Lutheri dogmata secutos proscripserat: per cufferatq; tremendo olim, non minus, quàm fulgure Iovis, anathemate. Est autem Anathema ab *Ανάθεμα* id est suspendendo donum propriè Dijs donatum, & de tholo ædis sacræ suspensum. Pollux paullo uberius. Ab hac prima significatione transferunt Iudæi ad piaculum, & ut D. Hieronymus docet, ex D. Paullo liquet, ad extremam execrationem. Quam autem post se relinquit impietas? quæ hominem, non solum ab humana societate, verum etiam communione diuina auellit? Ecclesia non Iudæos, sed Apostolum æmulata, utitur voce, si cui aqua & igni interdicit. quemadmodum tum Pont. Max. Lutheranis.

L. HIEROGRAPHIA.

Occasio est, auctore Festo, opportunitas temporis, casu proueniens. De eadem ferè idem, M. Tullius. Poëtæ fingunt occiput caluam, sinciput capillatam: ut de facie nemo non agnouerit hoc loco. Nuda enim est. & est nuda, quod planè aperta, simplex, nec ullis fucata coloribus sit. Statuit autem pictor loco sublimi. quod casus de celo cadat, & causa eius tam sit Deo nota, quàm nobis frequenter ignota. Præcipiti verò loco statuit & obijcit vento quod lubrica sit, & nisi arripias, præceps feratur, ruat, pereat. His de occasione cognitis, audiamus Mystam: erit altera merces. vnde? Celitus. Quemadmodum enim Occasio celitus datur; ita & expectatur celitus præmium, rectè utenti occasione rerum gerendarum. Querimus ætatem sine fruge rapi. cur non usi sumus? Querimus pulcherimas rerum occasiones præterlabi. cur non utimur? Deus enim utenda, fruendaq; dat: & rectè utentes cumulat præmijs. Queramus itaq; de nobis ipsi, quod semina virtutis non colimus: quod principia felicitatis negligimus. imò si meliorem rerum nostrarum statum, publicè aut priuatim optamus, excutiamus veternum & discamus nostro malo sapere, qui nolimus alieno. Amentium quidem hoc est, sed non omnino delirantium. Nec queramus, quæ revocari nequeunt, lapsa aut tempora, aut temporum opportunitates; sed arripiamus quæ in dies eveniunt: nunquam enim deest occasio, in melius mutandi aut institutum aut consilium. videbimusq; propediem in melius mutari, qua perdita, turpata, deplorata, cernimus.

LI. HIEROGRAPHIA.

Hæc cum calice & Hostia aut D. Clara est; sic enim peculiari quodam priuilegio in templis spectatur: aut Anima Mysteriorum granditatem

E
confide-

considerans. & non quærens, cum impietate Iudæorum: Quomodo hic poterit nobis carnem suam dare ad manducandum; sed Conditori suo se subiiciens. Symbolum enim ar. inum Animæ ex vultu resplendente loquitur: sola fides sufficit. Sed ô rem indignam & acerbam. Quæ gnome tollere debebat, & truncare omnem dubitandi ansam; ea nobis invexit procellas dubitationum. Hac enim multi, non dubitandi causam tollunt, sed piè beatéq; vivendi fomitem suffocant. Si enim credere satis est; superfluum est facere. Quam consecutionem, quæ sequuntur incommoda? quod personarum exitium? quæ rerum strages? Est ramen satis credere Intellectui, cuius est Fides: ubi enim fides, acquiescit. Non satis Cordi: cuius non fides, sed operatio, tranquillitas est. Hæc quod non distinguant bene Magistri: & peius interpretentur Discipuli; salubrem sententiam, in perniciem suam vertunt: & cum cognitione operationem confundunt. imò virtutem, veluti solem è Mundo tollunt. Nec obstat salubris sententiæ interpretationi veræ; quod Paulus neget ex operibus legis, salutem pendere. Est enim Lex duplex: Ceremonialis & Moralis. Cum Ceremonijs autem, perijt legis Ceremonialis fructus: ut exsiccata arbore marcescunt fruges. Non perijt, fructus Legis Moralis; ut enim perpetuò coërcendi sunt mores Lege Mosaica; ita perpetuò sperandi fructus Legis. quam ut per Mosem tulit, ita per Christum alit S. Spiritus. si non perijt fructus Legis Moralis; integra est Lex, radix fructus: nec Fides notionis lumen abolet, sed operi appellit, operationem Cordis.

LII. HIEROGRAPHIA.

Circinus hic est ad multa accommodatus: Pyxis ad navigationem: tabulæ ad Geographiam. Omnia, ut summam rerum paucis subducam, ad ingenij humani dexteritatem. Quod magis ex sententia licet conijcere, quàm ex imagine lubet cognoscere. Duo cum verba sint, licet, interpretatione ampla sunt. Nam licet varia sint bona corporis, animi, fortunæ; uni tamen vulgò omnes veluti testæ adhærescimus: præter quod, nullum bonum, bonum ducimus. Ad vanitatem amatoriam rapit Iovius quasi Mysta, unius amore captus, & huius sale carptus quod in virginum choro esset frequentior, responderit adamatæ; se plurium consortium non fugere, sed uni, ipsi scilicet, adhærescere. Et hac de causa Celum ceruleum variis syderibus sparsum quidem. Sed ut nauticus unam Cynosuram miratur, licet totum celum, & tot celi stellas contempletur; ita se, humanitatis causæ ceteras colere ceu virgines, ceu Matronas: unam illam venerari & adamare, si de disciplinis, aut rebus aliâs gravibus interpretoris; rectius feceris.

LIII. HIEROGRAPHIA.

Mirabile in oculis nostris. Quid verò vel mirabile, vel spectabile? Mundi machina, quantacunq; est. Tota enim oculis exposita est magis, quàm ventis. Si enim ventus est aëris motus, haud extra Mundum sunt; sed Mundi regiones, septentrionem & Meridiem: Orientem & Occasum Solis,

Solis, non ineptè demonstrant. Et qua tandem re mirabilis est Mundi machina? se ipsa, velut à Torneuta, in orbem circumducta: nec ullis librata ponderibus, at suo stans ordine, & natura volubilis. Nec suo tantum circulo aut ordine modò. Verum etiam rebus omnibus, quas continet, & ex quibus composita. Taceo de rerum discordiarum concordia. miramur celum, miramur solum. Illud volubile, hoc stabile. Miramur Aquæ humorem: Ignis calorem. Ex his verò tot res ac tantas, diversa specie, species, quis non miretur? & singulas ad unguem perpendens obstupescat? Alia sunt, alia vigent, alia sentiunt, alia ratiocinantur. Progredi non audeo; licet alii sint rerum gradus. Nam qui supra rationem scandunt; non aliter mihi facere videntur; quam si belluæ, expertes rationis, vim humanæ naturæ scrutarentur. Quæ si prudentiam nostram non assequuntur; qua via nos sequimur impervestigabilem Providentiam Divinam? Cùm igitur omnia totius Mundi, cum Mundo mirabilia sint oculis nostris; quæ clara, perspicua, Lucida oculis nostris: orbium celi duplex motus: terræ perpetua quies: Solis jubar: Lunæ usura: stellarum errantium, nullus error: fixarum nulla vincula: elementorum in summa discordia, summa concordia, ortus unius, occasus alterius; maris altitudo; terræ profunditas: aëris raritas: ignis calor: terræ inquieti: maris incolæ: aëre vagi, igne nulli. Si non salamandra, aut ignæ aliud naturæ, illum orbem habet. Et nihil mirabilius oculis nostris, nobis ipsis, quibus hæc omnia, ut stoici rectè sentiunt, condita sunt: qui hæc omnia ingenio comprehendere, & iudicio metiri possumus: quorum oculis descripta celi tabula, manibus tellus culta, ingenio stratum mare classibus, ponte flumina, passibus rupes: quos domestica honorant, feræ pavent animalia. Sed hæc omnia nobiscum ut mirabilia, ita subiecta, sunt oculis nostris. Hoc autem, quod subiecta, minus mirabilia. Nescio enim quo pacto familiaria abeant in contemptum. Concedamus igitur Mystæ, Mundum esse mirabilem in oculis nostris, & quæ nobiscum sunt, ne nobis ipsi nimium blandiamur, nobiscum in Mundo. Cederet enim nobis ut Oppidici opus, Mundus Deo: & concederet Mysta, longè mirabiliorem esse, qui hæc omnia condidit nobiscum, & venerabiliorum Deum. eoq; mirabiliorem, quod non sit, nec esse possit, quod procul remotus ab omni sensu, in oculis nostris. Ita ab effectu ad causam pervenimus: & quod ultra nec volumus nec possumus tendere; Hierographiæ piæ & eruditæ finem imponamus.

LIV. HIEROGRAPHIA.

Natura an ars plus possit in cultu ingenii olim quæsitum est: & ut de aliis taceam, a Cicerone, in eloquentia: ab Horatio, in Poësi. Hic videmus flores florere: & aqua suffusa in nimbo ali. Certant igitur inter sese, natura, quæ peperit: & ars, quæ nutrit. industria, inquam, labor, & virtus humana. Si in floribus sensim deflorescentibus, tum sumus industrii, atq; diligentes, quanto diligentiores esse convenit, in animi æterni frugibus cùm colendis, tam colligendis? Natura semper adjuvari vult. Terra arari: Mare fulcari: Aër peti Ignis elici. Proveniunt natura omnia, quæ non solum necessaria, sed & jucunda Homini. Sine labore,

sollicitudine, cura non proveniunt. Erat quondam liberalior natura & sponte ferebat, ut ait ille, omnia, tellus, quæ nescio quis Poëtarum, apud Græcos, in species distinguit: & velut è popina, in os ingerit, hæc assa, illa elixa, non matura tantum. Ac licet hic ludat; fuit quondam liberalior natura. Non enim ad cultum terræ, sed Dei, Homo factus est. Cùm autem non ferret tantam felicitatem, ut difficilius est sortem bonam, quàm aduersam ferre & ocio lasciviret; mutavit Conditor, conditionem rerum, & quæ gratis dederat, laboribus venum exposuit. Sic terra celi, celum notari, mare tentari cepit. & necessitas extudit, ut Virgilius ait, artes. Serviamus igitur necessitati, per se quidem non expetenda; sed rerum expetarum compendio, & artium omnium, liberalium & illiberalium principio. Caterum mollis Caltha, ut & aurum, relucens flos est: qui in nimbo est. Heliotropij species, licet enim subdubitare videatur. Matthiolus, agnoscit Adrianus Iunius, quod cum Sole oriatur & occidat, aut folia sua circum agitet, ut Dioscoridis interpres. Quid Caltha, odore gravis? & non flos naribus gratior. Quod visum, inter sensus, omnium nobilissimum, oblectet: & nos, si non cecutimus, dum cum sole versatur, ab hoc instabili rerum statu, ad summi, stabilis & sempiterni Boni cultum rapiat.

Nequidquam enim laborat, qui inani-
bus curis & sæpe non necessa-
riis se cruciat: nec la-
borat Deo.



Vulvius Ursinus Rom. Diaconus Card.
S. Eustachij: Epis: Fanensis.

Prosper Columna Domicellus. Diac. Card.
S. Maria in Velabro Protec. Neap. et Sict.



Pompeius Columna Domicellus Rom. Dia.
Card. xii Apostolor. Epis: Reatinus

Stephanus Columna presb. Card. S. Marie
in Aquino Archiep. Sipontinus



M. Antonius Columna presb. Card.
S. Petri ad Vincula. Legat. Campanie.

Franciscus Cavaffa Neapolit. Presbyter
Card. S. Sabine. Epis: Ostiens. et Velitro.



LV. HIEROGRAPHIA.

Satis diu feria. Nunc ad iocos, ut reficiant animos, tædio & mora, si quando affectos vident, Oratores seriis rebus iocosas. veluti salis micam, commodè asspergunt, exemplo sumpto à Demosthene, documento ab omnibus, qui artem dicendi profitentur. Studio nihil à Scalptore factum est. Sed ut in rebus humanis casu evenit, rerum vicissitudo: ita & in narratione earundem, ne miremur Mystam fabula, veluti cortice, veritatem tegere. De natura Elephantium, multi multa tradunt; hoc Plinius, ex quibus, nescio, auctoribus, præterit enim nomina, in Mauritaniæ saltibus, ad quendam amnem, cui nomen erat Amilo, nitescente Luna nova, greges eorum descendere. & purificantes se solemniter aqua lustrari: nec antè, quam salutato sydere in sylvas reuerti. Hoc lauacrum si sit religionis, an voluptatis, non inquiram: nec enim Plinius valdè superstitiosus est. Et ego Mystam potius intueor, qui hac imagine pietatem suam nobis testatam reliquit. Non enim Luna salutata, sed Deo adorato & pietatis causa, noctes multas infomnes ducens, ardua petivit. id est, quòd undiq; sursum est, celum. Hoc ostendit Elephas unus, id est solitudo, quæ meditationibus sacris amica est. & non reditus ad antiquam sylvam, id est cuius pænitet, vitæ prioris institutum, sed transitus fluminis, in ripam eminentiorem. quæ est, ut dixi, longè sublimior hac celi regia. Quod illud flumen? vita hæc, quæ ut illud, rapido cursu fertur & nunc exarescit, inopia: nunc copia rerum intumescit: secunda, hac parte: illa verò aduersa: interdùm fluctibus fortunæ sæna. interdùm valdè lenis. Ac ne Mysta videatur ignorasse naturam Elephantis. Tranat flumina, vadum littori proximum calcans, altiori aluco, cum undis luctans. Antiocho Regi duo erant. Ajax alter, Patroclus unus salutabatur. Dux ille sociùm erat. Ventum est ad flumen. Transire iussus Ajax renuit. Pronunciatum est, eius fore principatum, qui fluvium primus traiceret, prolatis etiam phalaris & reliquo ornatu, quo maxime gaudebant, in illo hominum commercio. Patroclus nihil moratus, & princeps agminis appellatus, & insignibus donatus est. tanta invidentia & mærore Aiæcis, ut inedia sibi mortem conscisceret, Hæc non hisdem verbis, at sententia refert Plinius.

LVI. HIEROGRAPHIA.

Teophrastus cepam variis generibus distinguit, unam Ascoloniam appellat: quæ plantata, caulem edit, semenq; tantum fundit nec mora, exinanitur, atq; inarescit. Eius generis videntur, quos vides, bulbi tres: & esse vult, non videri solùm ex cuius Museo prodeunt, Antiquarius Cæsaris. Ex quo bulbos de facie agnoscimus, superest, ut mentem Mystæ rimemur. Nam Romanus est, & quidem Columna, inter Patres, virtutis merito, conscriptus, ut nihil sit vulgare, à principe Viro expectandum. Cepe quidem vulgaris cibus, & contemptus, Græcè κρόμμυρον διότι τὰς κρόσσας μὴ ἀνὸς ὄσσει, ut testatur Athenæus; sed non vulgaris Mystæ sententiæ: Prius mihi, post Soboli. Quemadmodum enim cepa, & semen cepæ, brevis est, & nullius fere vitæ; ita & Homini evenit; ut Parentes
velo-

velocis ævi, sequantur liberi cito gradu, & quandoq; præveniant fato. Comparat autem cum cepa, quam propter odoris gravitatem avertere, Hominem, cuius enormia sunt vitia, sed nullum gravius, tætrius, aut majus fastu, se superi, audentis adæquaris; ut modestiori utatur, propter vitiorum fæditatem, longè fædiorem cepa: & reddat meliorem, propter ævi celeritatem. Iam ut Aſcalonia Venerem stimulat; ita Mystica conſideratio reprimat; & à propaganda ſtirpe, ad propagationem nominis excitat memoriam, omni genere diuturniorem.

LVII. HIEROGRAPHIA.

Rigatur, uti cernis, ſitiens pluvia ſeges, non inundat imbrè, aut ſternitur tempeſtate, non fertur turbine. Quis dubitet modò terram arere, modò perplui, noſtro commodo, divinitus? etiamſi, nec lapidibus, nec ſanguine, nec carne pluat? Certè hîc Pagani, non dicebant, at credebant, Iupiter. Romani etiam Iovem Elicium, quem aquam orabant in ſiccitate. Tribuunt igitur plus Deo, quocunq; nomine, aut ſuperſtitione; quam noſtrum ſtolidi ſapientes, qui omnia temerè ferri volunt: in tanto rerum ordine, ut adverſarios excitent, qui omnia neceſſariò fieri contendunt. Qui dùm ſe mutuò conſiciunt; faciamus quod cogit neceſſitas, vult utilitas, ſuadet deniq; honeſtas: & certi noſtræ ſpei, Dei opem quovis tempore rogemus, nubilo, ut eluctemur: ſereno, ut diu fruamur. nec enim Agricolarum modò, res & labores, in optatis verſantur; verùm etiam ſalus noſtra & mundana & æterna, in votis maximè conſiſtit. Nam tot caſibus, tot injuriis, tot ærumnis expoſiti, quaſi telis, cùm ſimus; accerſimus, non ipſi nobis, vel malitia, vel ignorantia, vel debilitate præſentis vitæ cladem, ſecutura pænã. In tot tantifq; miſeriis, beati eſſe poſſumus; ſi non tantùm poſcimus, Verùm etiam promittimus nobis, auxilium divinum. Ea pietas Davidis: nec alia Ambroſii & Auguſtini. Quemadmodum enim ille incipit Pſalmum ſic hi finiunt Doxologiam ſuam in te Dømine ſperavi. Et cum his Columna hîc contendit de pietate. Symbolum cuius eſt, eadem & pia iſta illorum ſententia.

LVIII. HIEROGRAPHIA.

Scutum fidei, inquit hic, proteget me: & ſimul Infulam Pontificiam depingit, quæ capitis eſt ornamentum, non tegumen corporis. Panoſian Christianam Apoſtolus deſcripſit; ut Myſta, non malè ſub Scuto fidei lateat. Fides quippe in Deum, & certa de Dei ope perſuaſio, neminem fallit. Ac licet huius non peræquè omnibus fecero fidem; exemplis tamen in dies declaratur, ut ad auditum, accedat, viſus & quaſi tactus rei claræ, manifeſtæq;. Tragædi olim rebus deploratis, à machina, adducebant Deum: & quaſi in ſpeculo commonſtrabant, res ſolutas, ſparſas jacentes. Solum erigere, colligere, reſtituere in integrum, quæ noſtra culpa nobiſcum perirent funditus. Sed quid ornamentum cum munimento? Galea non rantùm ceſat, ſed & decet caput. Infula tantùm decet, auro & gemmis, non chalybe aut ferro rigens: & vittis non tæniis fluens. Quemadmodum Diadema Regem, quod regium inſigne; eodem modo Infula Pontificem. Hunc igitur Myſta intelligit, ſub cuius ſcuto, ut Aiæcis, Teucer ſecuritatem ſibi pollicetur.

LIX. HIE-

LIX. HIEROGRAPHIA.

Palma jam sæpius nobis, à diversis Mystis in palmas data est; ut longo usui potuerit nobis innotescere. Hæc est ceteris æqua: ut internoscatur, veluti nota, Symbolo discera: sic duret utrumq; Sol & Luna, quæ in conspectu sunt, ut Planta verum quidem est, si vera tradunt scriptores, Palmam renasci, ex se, ut quodam loco annotavimus. Sed & Sol cum Luna, uti occidit, ita & oritur, sic ut hac parte vivacior non sit planta. Dicit tamen Mysta: sic duret utrumq;, nec possumus, aliæ videre, de quibus dicit, quam quæ, & per quæ, cetera videmus: Solem & Lunam. Quid optas Mysta? Tam longæva, celi duo lumina clarissima? quam Palma est? Aut vis dicere? si tam vivacia essent celi sydera; essent æterna. Nam non loqueris de Palma: quæ si reviviscit, beneficio luminum reviviscit; sed de Iusto viro: qui ut Palma non tantum vivet, sed & vigebit ac florebit sempiternum, ut non solum vaticinio credimus; verum etiam ratione percipimus. Est enim Iusticia, temperamentum. Iam non modus, at excessus & defectus, ætatem, morbum, interitum sentiunt vivet igitur Iustus vir in perenni vita; quemadmodum Palma vivit in mortali.

LX. HIEROGRAPHIA.


Anserum alios esse domesticos, alios feros, nemo ignorat, vigiles omnes. Cum igitur Mysta dicit, nocuisse locutum, non facile dixerim, de bipedis istius loquacitate, an nostra loquatur. Satis scio ad nostram disciplinam pertinere. Et Gallos enitentes in Capitolium sensere. Ut Gallis nocuerit, vel locutos, vel tumultuatos esse, Sed & feros prodit venatoribus clangor, ut & in ipsos Anseres dictum quadret. Sed nostram vaniloquentiam notatam puto. Nam aptior in alteram partem erat forex, indicio suo, ut inquit Terentius periens. Et nos prudenter admonere taciturnitatis, etiam in solitudine, verum & hinc dices, corvus est. Et corvi credita terræ arcana, eliminarunt, ut P. Ovidius memoriæ prodit, verum est, at corvus fari, non Anser discit, licet aliquis Philosophum affectatus sit: alius amore, inveni devinctus lubens prætereo, quæ ab instituto aliena non sunt. Hoc tacere nequeo, licet præ manibus habeam, exemplum modestiæ, ganzas olim in Germania anseres esse appellatos, minores, ut scribit Plinius, nomen enim in Germania tot sæculis superest.



Cardinales S. Rom. Ecclesie

*Ioannes Tolledanus. Frater Ducis Fev.
Albae. presb. Cardina. S. Xysti.*

*Hieronimus Doria. presb. Card. S.
Eustachij. Archiepis. Bavenis.*




*Hieronimus Auria. Genue. Diac.
Card. S. Thomae in Parione. nep. pr. Doriae*

*Iacobus Sabellus Rom. Episc. Card. xii.
Apostolor. supremus Inquisitor. Magis*



*Henricus Turmonius presb. Card. S.
Sabine Archiep. Massiliensis.*

*Antonius Pervenotus Gramie. Burgu.
Presb. Card. S. Sabine Archiep. Megl.*



LXI. HIEROGRAPHIA.

Vides ne Lauri ramos utrinq; rotæ inter radios? Laurum enim testari victoriam, aut decretam, victori non ignoras, vides quoq; rotam, quæ vel vento vel industria agitari posset, grandi mole pensili immotam sisti, & quasi sufflamine cohiberi, ne vel spontè voluatur. Legis autem: Fata obstant. Et si non legeres, per ipsam molem, intelligeres: maiori vi cedere minorem. Fortunam verò in rota collocari à pictoribus: rotari cum rota à Poëtis fando audivisti, aut didicisti aliquando. Iam fortuna, quæ natura volubilis est, Fatum propter constantiam, potentius esse necesse est. Quid igitur fortunam urgemus, aut increpamus? si nostris conatis maior est occulta vis reluctatur? Theognes Deo tribuit sanior nobis, quæ nos Fortunæ non Deæ. Homerus in vero opere suo ne meminit quidem, Nam de Hymnis, ut Orphei versibus dubitari non injuria posset. Euripides sanior se ipso in Electra, Deorum ministram, quam cum aliis Deorum Dominam fecerat, appellat. Fatum contra Homerus agnoscit. *μῦθον* puta, sed & *αἴσα* Græci nominant, cui non Poëtæ, sed & Herodotus tantum tribuit; ut nec ipsos quidem Deos Fato repugnare posse arbitretur, impietate maiori, nescio, an insania. Non enim Dii sunt, at servi, imò captivi, quos maior continet vis, aut violenta detinet necessitas. Quæ igitur nostrorum vel impudentia, vel imprudentia? qui unum, verum, Solum Deum causarum nexibus, veluti vinculis irretiunt? Quod semel decreuit; mutare non potest, aiunt. Et quis Regum nostrorum, ô nihil minus, quàm Iurisconsulti, sibi ligat manus? Iam nihil scis quid decreuerit, qui auctoritati Diuinæ Historiæ nihil tribuis. Et si scires; non intelligeres. Quam enim multæ sunt leges quas alij aliter interpretantur? Sed & Mysta noster inquit: Fata obstant. Cedo: intelligit enim causas ordine manantes, quas plurimum posse, longi temporis observantia, manifestè docet, in nos quidem; sed non in superos, qui ita dicti, quod supra eorum orbem collocati sint. Tantùm abest, ut in superum Regem, & Dominum nostrum Deum. Verùm enim verò, si in nos habent Vim, ac potestatem; quid agimus? quid molimur? quid nihil profutura tentamus? Perdamus in rebus vanis oleum & operam; in sanis operæ pretium facimus: Licet enim serò, seria adipiscimur. Dicam quod sentio, apertè. Si enim in his, quæ amittere possumus inviti, minus nobis succedit; prætereamus animo elato, & ad æterna contendamus. Nam ut istic obstant fata; ita hîc antestat nobis & secundat omnia, causarum prima, princeps, libera, & fati imperans Deus.

LXII. HIEROGRAPHIA.

Caluaries, sub sydere, in duplicata Hedera corolla, quod silet, sententia enunciat: Aeterna parantur Virtute: Quid doctius pingi, aut veriùs dici potuit? stella lucem: Hedera spem: Orbis perennitatem: intortus, nescio quid maius: & in minores orbem circumvolutus, aliquid amplius notat. Beatitatem, inquam, Animæ in celis, & claritatem nominis, in terris. Hæc autem comparantur, non diuitiis, quæ sunt fortunæ: non conciliantur forma, quæ, si quæ est, ætatis est: non aquiruntur
robore.

robore, quo à belluis vincimur; sed vaneunt una & sola virtute qui est rectus usus bonorum: sic enim crassa, quod aiunt, Minerua, diliniemus virtutem: Quid ergò dicet aliquis, viro pauperi interdictum est virtute? De formi ne suspiciendum quidem ad virtutem? Debili nullus usus virtutis, imò verò maximus, debili, deformi, pauperi, usus virtutis, plerumq; id hominum genus, animi bonis abundat, quæ tantò sunt meliora & maiora bona bonis fortunæ & corporis; quantò excellentior & sublimior est animus. Audiuisti Vlysem non à forma, sed prudentia laudari. Eumenes etiam infirmus, firmas & validas hostium copias fudit. Seuerus ostendit caput imperare non pedes. Fabritios, Fabios, Tuberones paupertas non tantùm victoria insignes facit. Si igitur nemo ex hac palæstra excluditur; sed patet contempto peræq; atq; illustri hominum generi; utamur bonis, quæ à summo & Aeterno Bono, nobis obuenerunt, ad summi, Boni & Aeterni Dei laudem: hoc enim malè prætermittitur, aliàs enim in fastum, quo nihil magis aduersatur virtuti, omnia desinunt quæ ad virtutem faciunt, & præsertim animi bonis, quæ non iniustè, ante fortunæ & corporis bona collocauimus: propius enim ad æternitatem appropinquant, imò & ad securam felicitatem. Nam aliis bonis aliter atq; aliter uti possumus: virtutibus animi, quas morales vocant, nisi rectè non possumus, ullo modò uti.

LXIII. HIEROGRAPHIA.

Vigilantibus, inquit, Mysta, & cervum obiicit. Ergò insomnem noctem ducam cerui gratia? qui licet gratus, elabi è manibus potest? fugax enim est, & ne sequare tutò, locum acclivem, præcipitem, canibus deniq; horrendum petit. Verum quidem est, ubi cornua posuit, secessum quærere, ut Plinius scribit, & non nisi noctu prodire. Sed omnia latibula sunt interdiu peruia etiam vestiganti. Si non sunt, leuis prædæ causa, quæ me fugit, fugiam somnum, qui me leuet graui pondere negotiorum? voluptas est vgnandi studio captis, quæ & teneræ coniugis, ut Horatius loquitur, & ipsius voluptatis, ut ego, immemorem reddit. Cedo. Concedo etiam ab Alexandro Magno captos ceruos & collum æneo vel aureo monili cinctos, unde de ætate coniectura, repertum enim est, licet adipe haustum & occultatum. Tenera tamen coniunx, quam venatorum etiam aliquis pro fera occidit, & non tenera, sed negocia difficilia debebant esse pluris præsertim, quæ manibus tenentur; quam quæ è manibus effugiunt, siue cerui, siuæ damæ. Nam in Leones impingant, quibus perire propositum est. Hæc dissero, non reprehendendi Mystæ causa; at sententiæ explorandæ gratia. Videntur enim mihi ratiocinatio quædam esse a minori ad maius. Si vigilant principes iuventutis, ut cervum sequantur: sæpe enim non capiunt, & Horatius Romæ quendam notat de capturæ ineptè triumphantem; quid Principes ciuitatis facere oportet? ut ciues in seruitate contineant? imò ne ipsi seruiant potentiori? eijciantur imperio & vita? Nam non ita difficile est, à summo fastigio præcipitem dari; ut vivere à præcipitio.

LXIV. HIE-

LXIV. HIEROGRAPHIA.

Siue hordei calamus, siue tritici scapus, hîc in orbem circumvolutus est nata est ingentis & ferè incredibilis diligentia. Quis enim vel in semine stipulam voluat & non frangat? Non lenta est, ut fructiceta quædam. Ars est, quæ naturam flectit & castigat. Et ex hoc naturæ vel obsequio, vel observantia, habemus, quæ non haberemus. Licet enim ferax sit Natura; pertinax est natura: & nisi vitulum mulceas; taurum metues. Quamobrem Mystra non abs re vaticinatur: Et vitæ, mortisq; comes. Quis verò? Labor improbus, sedulitas, industria. Quidquid enim ingenio Labore comparatum est; comitatur nos in vita, & morte, imò superstes nobis est. Quam dulce, juventæ fructus, in senectâ delibare? quàm bonum relinquere etiam posteris, famam nominis bonam? Ne cessemus juvenes: ne fatigemus senes: laboremus viri, ut quisq; sementem fecerit; ita & metet. Tritici orbem volebam, cuius substantia corpus, species animam nutrit. Deus bone, quàm es bonus? Nec ego tibi servio, qui me servas.

LXV. HIEROGRAPHIA.

Paradinus hanc pluviam celestem vult & Manna interpretatur. Turonii, ut apparet, familiaris. Nihil igitur cum hoc pugnemus, qui ab illo accepit: mentem enim & sententiam Mystræ, nemo melius intellexerit. Et Manna ad S. Eucharistiam transfert, non abs re. Fuit enim Manna, ut cetera ferè illius tempestatis, huius temporis, ita lucis tantæ umbra quædam, ut jam non Paradinus, sed Christus ipse nos docet. Quid igitur manus geminæ captant? quæris. Quod manibus capi, imò nec ingenio, licet humani ingenii dexteritas ingens sit, comprehendi potest. Sola fide Mysterium tantum capitur. Hinc est, quod dicit: Non quæ supra terram (supple, ex quo imperfecta oratio) capinutur in terra: aut intelliguntur, à terreno Homine. Celestis enim sunt, & angustioris animi, nec dubitationibus impediti; sed expedientis se angustis rationis, & subicientis Deo.

LXVI. HIEROGRAPHIA.


Si Paradinus novit Turonium, ego Card. Granuelam, quo tempore, pro Philippo. II. Hispaniarum Rege, gubernavit Regnum Neapolitanum, probavitq; quod aliquando epigrammati inseruerim, Tibulli illud, Non sunt apta meæ grandia vela rati. Si tamen Tibulli, non enim est ad manum. Satis est, quod meum non erat, & erat ad nomen eius perquàm aptum: relatu autem hîc non incommodum. Nam velis omnibus nauim ferri cernimus, agitatum ventis: & velut de celo, admoneri symbolo, qui ferantur navi, Durate. nosti quæ sequuntur: & vosmet rebus servate secundis. Mascula vox, & in rebus duris, ad colligendos, aut confirmandos animos necessaria. Nam animus bonus in rebus malis, dimidium est mali) Et semper tempestiva, ut enim omnia nos deficient, in pyxide Hesiodi, spes semper est reliqua: eaq; non fabulosè, sed naturaliter contra metum comparata est. unicum in rebus omnibus, nisi extremè perditis, ut Aristoteles prudenter obseruat, solatium.

LXVII. HIE

Cardinales S. Rom. Eccle:


49

Carolus Borromeus presb: Card: S. Theodori Archiep:
Mediolani



Joan: Hieronimus Moronus presb:
Card: S. Stephani S. R. Eccle Archidiaconus

Rudolphus Pius de Carpi Diac: Car:
S. Crucis in Hierusalem



Joan: Paulus Chiesia Cardina:
Diac: XII. Apostolorum

Petrus Franciscus Ferrari presbyter
Card: Sancti Xysti



LXVII. HIEROGRAPHIA.

De circulo Lacteo Proclus in sphaera, & quem situm nunc habeat, Severtius in orbe catoprico tractat. Ad hunc spectat Mysta, ut videre est, ex celi aspectu; dum ad celi conditorem & principem universi, oblectatus oculos haud vana imagine, aciem mentis erigit. Hic enim non circulus, sed Deus in rebus arduis & obscuris iter monstrat. ne quid offendamus. ut necesse est, veluti in tenebris, si absque Deo de rebus divinis, imò & humanis, quandoque differimus. ut liquet ex contentione Philosophorum de summo Bono: discordia gentium de cultu Dei: Christianorum deniq; de ipso Deo. Igitur est, quod Mystam sequamur. aut verius Deum, quem nobis commonstrat: ne in vitæ instituto peccemus, aut erremus in deliberationibus de re, quæ nobis ad hanc vitam commoda est, aut ad perennem & futuram necessaria. Qua via sequemur? Lactea fodes, id est animo sincero, candido, & ut ad rem verbum adaptem, Lacteo.

LXVIII. HIEROGRAPHIA.

Parte una Fontem cernis, & subjectum si non cratera (sic conceptaculum aquæ, Plinius vocat) siphunculum (quem, alij papillas, alij ubera, alij caput tubuli, sive scaturiginis appellant à forma. & hoc loco, capitis effigiem refert) omnia circum latè inundantem. Parte alia Cervum æstuantem, anhelantem, & sitienti similem. superare rivum, tenere ipsas salebras, appropinquare ad fontem. Quid verò obsitus & pænè exessus serpentibus sit, mirabitur, non injuria aliquis. Nam & veteres tradiderunt: & nos notantes veterum antè vestigia, scripsimus. Cervos in noxium reptile, animam efflare. Imò hoc ipsum est, quod serpentes multæ, ut virum fortem plures, in solitudine deprehensum, globo cingant, vi comprehendant, & cum virtutæ nequeant, numero superare conentur, cervum. In Lybicus campis qui spectarit, nescio: Oppianus refert, scio licet in Africa gigni cervos Plinius neget. luctatur à diu cervus, sed numero inferior, superior sit, ingenio. Ad proximum enim fluvium festinat, & à fluvialibus cancris remedium petit. Nec mora his gustatis, defluit inimica lues. quam ut conficiat jam ad naturæ odium, accedit cupiditas vindictæ: ipsius vulnera spontè obducuntur: & nisi in Aquilæ unguis, aut hominum tela incidat, ad grandem ætatem pervenit. Hæc fufius juxta fontem effudi. quod nos etiam cum Propheta interdum clamamus. Quemadmodum cervus ad fontes aquarum; ita anima nostra ad te Deus. Et cum Rege Propheta concinat hîc Mysta: una salus. Nihil enim aliud dicit; quàm: cervo ut est fons; ita nobis una salus est Deus. Et verè dicit. Fons enim omnis boni, Deus est: & nunquam fatiatur Mens hominis, ullo bono. nisi summum illud Bonum adeptæ. Nam cupiditas, natura est infinita. nequaquam reprehendenda sed coercenda, intra honesti cancellos: ac ratione admonenda, ne ad concupitum magis, quam verum bonum feratur. Non enim ita cestro rapitur fera; ut effera cupiditas, opinione boni dementata. Quid verò in nobis serpentes? quæret aliquis, si non dissimilis similitudo est? vitia in nobis

51.

nobis serpentina, nec eutem, sed cor rodentia ne dicam enecantia. Hæc in solitudine, id est, longè à Deo, procul à ratione, comprehendunt nos & in peccata capitalia deducunt, accelerant, inquam, animæ mortem. ni eluctemur, & concitato cursu recipiamus nos ad Deum, datorem, eundemque servatorem vitæ. sed esse caneros oportet: & ut fortia facere, ita & pati necesse est. Nam ut ex delitijs nascuntur, alunturq; vicia; ita prohi mores duris rebus inferuntur, & rectæ sententiæ, sana mente apprehenduntur. haud secus ac fluentibus ex nutu ventis, Laxant corpora, socij navales: adverstantibus verò, intendunt nervos & remos.

LXIX. HIEROGRAPHIA.

En aranea ut exorsa telam, licijs vinxerit: stamite percurrat: trama trameat: & è medio, veluti centro, extrema obeat. Quid enim describâ? quæ melius & luculentius scribit Plinius, quàm pictorum ullus pinxerit. Hæc autem arte Deus non alijs, vile insectum, imbuit, atq; informavit. Natura prædicatur, in alijs alias sed quæ omnia uni debet conditori omnium Deo. Nam quod alia sit atq; alia, ad Deum, quod est unicum & simplex principium, necessario reducitur. Magne Deus, quàm spectabilis es, in universo, & partibus universi? Opus non miramur quod familiare ac domesticum. Ne textricem miremur quidem si placet. quanquam & gracile corpusculum & teretes digitos (ut ita loquar) sunt profectò tribus inter nodijs distincti, ad opus factos, & confiteamur & miremur, necesse sit; unde ex tantillo abdomine tanta materies? Naturæ ea vis sit ac liberalitas. Magnæ artis est texere: cujus industriæ, retexere? solers aranea. Majoris animi, quàm solertis, imbrem præsentire, antevertere tempestatem. Non absq; causa, ex multis pauca colligo. Dicit enim Mysta quidquid id quantumcunq; est, divinitus obtigisse. Et non obscure comparans sese cum aranea, si quid haberet à Natura, Fortuna, Industria (habebat autem plurima) id omne acceptum referebat, cui debebat, Deo. Quem si sequerentur beatiores inter mortales; minori cum invidia & majori securitate, bonis gratuitis potirentur. Nunc animum non adæquantes beatitati, in ærumnas sæpe graves incidunt. His tamen gravius est, quod à se ipsi degenerant: & ut Arachne in araneam mutata est, propter ingratitude à Pallade, divinitus puniantur, & similiores fiant belluarum, quàm hominum ratione utentium.

LXX. HIEROGRAPHIA.

Hanc Ruscillus non tam explicat, quàm implicat Mystæ laudibus. Altare tamen est, & ne ignoremus, quid fiat, in basim incisum est: Lita- tur. Differt autè litare, à sacrificare: quod hoc sit petere, & orare; illud impetrare & exorare. ut paullo aliter Nonius. Et inter duas statuas Altare est, anchoris revinctas. quæ tensa vi retinacula vocat Mysta: & sunt, ut cerne- re est, vi tensa cum anchoralia, tum anchoræ. Spectemus jam, si videbitur, statuas. Primum stant, aut veriùs fixæ sunt. quod constantiæ est. Deinde, infra umbilicum, meræ, ut dicuntur, statuæ quod referente libidinis est. Postremò truncæ, manibus. quod incorruptelæ Aegyptij statuunt. virilis

52.

autem hæc, illa muliebris. ut ex cōma apparet. Ita sensim veluti tenebræ, Aurora appropinquante, defluunt, omnis Hierographiæ difficultas tollitur, & jam jam evanescet. Nam statuarum in morem, stare, & collocare in Deo spem oportet: ac eidem vi amoris constringi, exutumque pravos affectus, cor mundum & immaculatum immolare; qui egregiè velit & ex sententia litare. Hoc autem propositum fuisse Rod. Pio carpenſi necesse est; si veræ sunt laudes, quas verè illi Ruscillus tribuit. Et nobis propositum esse debet, quando ad Sacrum accedimus.

LXXI. HIEROGRAPHIA.

De Leone, quæ ex varijs, varia congerit, Gesnerus, operæ pretium non est, ut huc conveham. Ferum animans esse, omnibus constat. Hanc feritatem domari tamen, non tantum audivimus, sed & vidimus. Cicurem enim ex Africa deduxit Ioan. Austriacus. Mars ille, cui nihil defuit, ad summam gloriæ, præter ætatem. Et in Africa primus Mortalium, cujus quidem memoria sit, Hanno Carthaginensis, Leonem subjugavit. magno terrore civium, non feram, sed animum viri, qui tantum ausus esset, non fecisset tantum, expavescentium. Patria igitur, ne quid domi novaret, extorris actus est. M. Antonius Triumvir, majora ausus Romæ. Leones sub currum, cives sub jugum mittere, impunè factum tulit. Nam finis hic erat libertatis populi Romani, & ostentum libidinosa servitutis, principium intolerabilis imperij. Hæc ad iconem pertinent. Vides enim Leonem habenis vinctum, & has manu regi. Humana an augustiori, non expressit Myſta. Et in fabulis est, non fabulosè Cupidinem in Leones etiam imperium habere. De quo quis Græcorum, non memini, Epigramma scripsit. De Antonio, scio Alciam scripsisse. Ruscillus citam conijcit Myſtam in juvenia & ætati & amori indulſisse. venisse autem in spem demulcendæ Amicæ inimicæ, ex intuitu Leonis, qui tempore feritatem exuit & humanæ assueſcit disciplinæ. Quò etiam spectat symbolum. Dies & ingenium. sed malim referri comparationem ad negotia & studia quædam graviora, dignioraque homine cum sacris operante, tum versante in Rep. Quanquam enim multa sese & multi obijciant honestis, & honestis conatis; sua tamen tempore senescunt & torpent. Si contra niteris. Idem evenit in meditationibus litterarum. Nam si ingenium acuis, & ipse fudes; Labor improbus omnes molestias superat: tempus omnes difficultates lævigat: ingenij vigor omnia abdita ex tenebris eruit, collustrat, & ponit deniq; in luce.

LXXII. HIEROGRAPHIA.

Vel Aetna, vel Vesuvius est: nec enim reor Myſtam Italum ad Hæclam respexisse, qui flammam undiq; exhalat mons. Licet non semper ardeant, nec undiq; eructent ignem. Et hoc est, quod Myſta dicit: Ego semper ardeo. quod vult dicere: Ego totus flagro, Si amore Dei, laudo: si mulieris, rideo. Celestis enim ille amor, hic terrenus. ne miremur Venerem quandam à Platone celestem appellari, multum à hac canosa,
non

non maritima discrepantem. Rideo, inquam, primæ ætatis cæcum iudicium. atq; utinam hoc non ad crescentem ætatem serperet. Multum enim refert, cui rei, laudatene an concupitæ à teneris tete assuefeceris. Ceterum quid Aetna ardeat, Iustinus docet. Aetneus ager cavernosus est. Mons sulphureus. Per cavernas igitur si quando veluti per tubos, insinuat se ventus, haud aliter, ac folles, igneum illum fomitem excitat: qui ex levi scintilla in horribile illud incendium evaporatur. Ante Petrarcham, Vesuvij incendium describit Plinius Minor, & dum vestigat miraculum naturæ suffacatum esse avunculum scribit, vel fumo, vel cinere. Non fuit pœna illa fortuita, sed divina. Nam qui Naturam supra Parentem admirabatur, in admiratione naturæ, iusto Dei parentis Naturæ iudicio extinctus est. Quod Homo cupidine exardescat, à natura est: est enim infiniti cujusdam boni nobis insita cupiditas. Quod in electione aut fruitione erret, à corruptela Naturæ. supplicijs igitur, non conatibus tantum opus est; ut cor nostrum Deus regat, & sui amore occupet.

non quod alia non sint, quæ velle non debeamus: multis enim indigemus, in natura omnium indiga; sed semper, debemus velle infra Deum. imò ipsa inferiora bona, non nisi ordine suo distincta, & quasi gradibus separata.

ss

Cardinales S. Rom. Ecclesiae


Guido Ferrari presb. Card.
S. Balbinae. Epis. Tusculan.

Petrus Bembo Venetus presb. Card.
iii. Coronator. Epis. Albanus.



Antonius Covarrus Venetus presb.
Card. S. Georgij. Legatus Campanie.

Augustinus Spinola Genuensis presb.
Card. S. Martini. S. Ecd. Camera.



Philippus Spinola Genuensis presb.
Card. S. Sabinae. Legatus Persie.

Alexander Criuellus pres. Card. S.
Laurentij. S. Rom. Ecd. Camerarius.



LXXIII. HIEROGRAPHIA.

Putei inventionem Danæo Græci tribuunt. quanquam necessitas Majores rem utilem, multò antè docuerit uti liquet, si non ex re ipsa, ex Patriarchia imò ex sermone vernaculo Græcorum. Nam à puteis, vel fontibus, Pagi (& pagatim olim habebant,) appellati sunt. Nihil frustra refero. Puteum enim hic, nemo non agnoscit. Ita & adversus præcipitium substratus est: patens crepidine: & liberalis aquæ in tympano, uno fune, duo haustra, quorum alterum eminent, alterum grave unda subfidit, versante, ad refocillandum non modò animum, sed & os invitat. sed, Motu clarior, quod Mystra dicit, non ita intelligi, ut puteus videri potest. scio perspicacis ingenij esse plurimos, qui omnia primo intuitu penetrent: pluros à vanitate animi insita, non modò velle aliis ostendere, se videre, quæ non vident: verùm etiam pluries sese, quàm alios fallere. Ego de me loquor. Licet enim ex D. Basilio, fontem symboli, Ruscillus hauriat; vereor tamen, ut motu turbetur magis, quàm inclarescat fons. Loquitur quidem Basilius, de Aqua Putei hausta; & quò magis hauritur, limpidiorem reddi; sed dubitans, & ut situlæ de orbe, abs aliorum ore & sermone dependens. Cum nemine contendo: sed ad veritatem tendo. Nam antè Basilius, Plinius, aquam putei eam saluberrimam censeret, cui exercitationis ratio crebro haustu contingit, & illa tenuitas colante terra. cui ut adstipulemur; usus cogit. Alga enim non fontes tantùm quietiores, aut stagna & Lacus; verùm mare etiam, si quando quietem capit, occupat. vicisti. quid amplius molire? ut victoriæ fructum, ut operis mercedem legas. Motu clarior fit aqua jugis. sit, non fiat modò: & fiat, quia semper movetur haurientium frequentia & indigentia. Quid tùm postea? ut te vel dicundo, vel faciundo exerceas: nec in eorpeas, ad quod te aptissimum senseris. Alij enim ad artes ingenuas, alij ad sellularias sunt natura facti magis. Anchises apud Virgilium, Romanis posteris Aenææ artem imperandi commendat. quasi ceteræ, indignæ sint eo, quem Deus sublimiori loco statuit, ne ad manuum opera se dimittat. Quemadmodum enim tempore etiam silex liquefcit; ita exercitio & familiari usu, omnia superantur & mitescunt. Quod etiam mihi videre videor ex ipsa Ciconia; non enim est palus per alterum trajectus, ad aquæ haustum; sed planta lentè ad hoc inflexa.

LXXIV. HIEROGRAPHIA.

En Caltha iterum, ex vase figulino florens. Nerepetam naturæ vim: quæ Calthæ tandem, solisequij nomen fecit Mystra, aut æternitatem sibi promittit: aut perennitatem laboris, in vita mortali. nec falsus opinione sua est, nec fefellit promissis. Nam Petrus Bembus est, qui quamdiu fuit; in actu fuit: & superstes vitæ nomen est; eritq; quam diu Sol duplici voluetur motu, Sed & animadvertite Caltham non fortuitò alicubi enatam, aut in horto tantùm cultam. Familiarius multò attrectatam, & in crudo fictili, sufficiente, occultos per meatus, radicibus humorem. ne vidisse, satis existimes, quæ non sine gravi causâ, à gravissimo viro picta, ac ficta spectas. Nam fictile vas est, ac fragile, in quod indita anima est,
ex qua

ex qua totidem facultates, Memoria, Notio & voluntas, sole perenniores. Hoc autem si non scitu, novi quisquis quos nihil latet, memoratu dignum est; ut Myſta exemplo corpus ita regamus, lubricum & fictum: ne cum vita hac omnis nostri intereat memoria. imò ut ex vita caduca, in celestem & perennem emigremus.

LXXV. HIEROGRAPHIA.

De Murice sive tribulo antè Machina tetragana est, notæ significatio- nis & usus. spargitur enim aduersus hostilem equitatum inprimis. Hic non miles in Muricem impingit; at ventus evertere nequidquam conatur. Et si everteret; converteret in æque noxium Latus. Et hoc est, quod Myſta dicit: Vndique frustra. Quid autem sentit, qui hoc dicit? sentit Animum constantem & iusti, non sui solum juris aut opinionis tenacem: virum quippe constantem, appellant quadratum) imperterritum esse, etiam si undiq; premeretur ab hostibus: & hoc statu mentis superiorem fore, aut hostibus, aut fortuna. Mascule. sed unde, amabò, hæc animi constantia? In promptu est, qui respondeat, Q. Horatius: Nam rem suapte natura magnam & amplam, amplificat suavitate & granditate carminis. Si totus collabatur orbis, Impavidum ferient ruina. Impavidum autem statuit integrum vitæ. Ergò nihil est aliud, quod virum reddat inpavidum & constantem? Stultè ferocem multa. Præter Deum, vix aliud. Quem enim torquet scelerum & flagitiorum conscientia; non potest non animo angere, & quandoque inhorrescere. Nonnullos familiaritas peccati, minus torquet. At hi graviori etiam morbo laborant. ut repens latenter malum semper est ejus: Et Nemesis, id est, iusta Dei vindicta imminet improvido. Igitur aut non peccandum, quod potius est: aut pænitendum, quod proximum est, placandumq; Numen, & satisfaciendum his, quos læseris est; si nulla culpa pallescere, nulla velis pavere pæna.

LXXVI. HIEROGRAPHIA.

Cùm & symbolum clarum sit: & præsidij porta pateat; Videamus primùm formam Ianitoris. Fœminam esse, ex facie apparet, pube tenus Cornipes quod sit, monstrosa est, & non nostri generis mulier. Licet nostrarum pleræq; & animo & forma monstrosæ sint. Satyrorum fuisse insulam, ex peregrinatione Hannonis constat, quam Arrhianus describit. Satyros fuisse alibi extra istam insulam, usu compertum: & verè in annales relatum. sed cornigeri erant. ut hæc sit aliena progenies. Pan quoque cornutus fingitur. Huic filia, ut Philochorus refert, Iambe fuit. de cujus forma nihil comperi. Sed ut Pan similior fuit, Patris, Mercurius is fuit hircum indutus, quàm matris, quæ fuit Penelope, ea specie. quæ Græciæ iuventutis principes commovit; ita & Echus, cujus si nihil in conspectum venit, multò minus, cornua, quæ non sunt ejus: ex hac autem genuit Pan, similiorem fuisse filiam Iambem conijcio. Pedes paterni sunt: non enim eo flexit oculos. mater: Facies materna, quod in eam intentus esset pater, solvens virgineam Zonam. Hæc profectò

fectò visa, ad sobolis formam, plurimùm facere arbitrantur. Cætera etiam cum Iambe conveniunt: Patris Musica, & Matris solitudo. Hic autem & sola est, & tibijs instructa, Scio Panos inventum Monaulum & Fistulam: docet enim omnes Plinius: Midæ tibiam: Marsyæ geminas tibus. Quid refert, paterna indole, Musicam adamavit? materna verò quæ omnium æmulatrix est; aliud Musicæ genus sit amplexa? Nihil est memorabile. Sæpe à parentum studijs planè abhorrent liberi: Hoc potius observandum est, quod tibus dextras à sinistris Terentius. distinguit: quarum illæ eadem parte oris & manu regerentur, hæ adversa. Videtur enim honesta hominum voluptati & natura indulissæ. Harundo certè quæ minus operosa & luxuriosa materies, atque ea de causa tibus antiquissima fuit, si radicem antecederet, lævæ tibus convenire: quæ cacumen, dextræ, credebatur, ut nostræ credulitatis robur Plinius vult: Nam harundo omnis, ex una stirpe, numerosa: atq; etiam recisa, fœcundius resurgit: Radix natura vivax, geniculata & ipsa. Sacrificæ Thuscorum è buxo: ludricæ ex loto; osibusq; asininis, & argento fiebant. Major esset luxuries scribendi, si non major esset animi temperies. Dextra & sinistra tibus Iambe tenet. Ut modò intendat, modò remittat animum. Nam ut arcus, si semper tenditur; rumpitur: ita etiam animo cavendum, ne perpetua obruatur sollicitudine, sed ut interposita recreetur hilaritate. Quæ animi harmonia, si in quo est, is Deum colit, & nullius injuria, sua custodit. Hoc autem expetit symbolon: & Mysta in formi forma, animum informat. quanquam capræ velocitas, quæ pedibus notatur, non deformet mulierem; sed corpus à probro, famam ab infamia vindicat. Quamdiu enim ociosa est; non est ociosa, at turpi ocio sese occupat. In actu cum sit, potest fieri, ut agat, non semper fœde. Non de muliere somniavit? qui vigilans hæc concepit, quanquam & Muliebre imperium, virili Deus interdum, non absq; causâ opponat. Animam voluit, veluti in scena, exhibere, Deo devotam, & salutis suæ studiosam. Cujus pulchritudinem, muliebri quâ maximè stupemus, expressit: vim & acumen, gressu caprarum, quas de rupe alicubi videmus pendere, exposuit. Pendet enim & anima bene constituta de celo, non hæret in hoc cœno, Quæ anima quodcumq; corpus animat, sub Dei tutela, res suas tuetur, non appetit alienas. quam limitationem. causantur, quos cernis Lauri furculos, ante Iambem sparfos. Hinc enim nihil aliud legi potest; quàm contemptus victoriæ. Lauro coronabantur victores primum: deinde & ornabantur Imperatorum fores. Iambe abijt, & ludicrâ penè ducit, cum Cicerone, puerorum. non quod non optanda victoria sit, in bello pio & justo; sed quod modestè ferenda, & tribuenda, cuius ope paritur, Deo. Et ferre cladem hostis potest, quia debet. contumeliam nec ferre potest, nec debet. Quamobrem speciosissimè semper triumphat, qui in victoriâ se ipse vincit. Cavillata cum Cerere, Iambe dicitur. Res tamen & serias gessit. Iambum profectò invenit, cuius prior syllaba brevis est, posterior longa. Non absque causâ, palæstræ rudimenta affero. Quadrat enim pedis mensura ad rem, quæ præ manibus est, velut ad amussim. Nam ex brevi injuria, aut brevi momentaneaq; quæ injuriam sequitur, vel comitatur potius, oblectatione, gravissimæ & longissimæ simultates oriuntur. Quàm multa & carenta bella, pro-

pter

pter dictum leviter, aut factum breviter, gesta sunt? Tutius igitur est sibi moderari, quam alijs insultare. præsertim ærumnosis, qui etiam moderata quandoq; in contumeliam vertunt. Ac Iambe Panos filia, cum Anima esse videatur; Pan & universum, & universi Parentem significat, à quo Anima directè originem repetit. Ne mihi in memoriam revoces, alium esse hujus & illius casum gignendi. Nam Deus aliter longè generat, ac creatura. Nec mortales tantum Philosophi, Verùm & Genij immortales ita Deum appellant, ut Tiberij imperio, quo mortuus est Christus, audire fuit. Palam enim ex vicina insula legentibus littus Neapolitanum, & clara voce, ut omnes exaudirent, nunciatum. Plutarchus scribit: Pan mortuus est. Quod tam verè, quam eruditè Crinitus, de Christo Filio Dei interpretatur. Et hinc magis liquet, quare sub porta Iambe sedeat. Sumus enim ut præclare Socrates apud Platonem, in hac vita à Deo, veluti abs Imperatore, in statione collocati quam ne deseramus, aut prodamus hosti, à Mystra admonemur: & tessera instruimur, Religione & custodia.

LXXVII. HIEROGRAPHIA.

Ridet Q. Horatius Flaccus, quos, nescio, oratores, quorum princeps, nomen erat Persio, Brutum solem Asiæ, stellas verò comites salutarer; sed Romæ, fumante adhuc libertate ridet. Persarum Rex in litteris ad Constantinum Magnum, ut testatur sacra Historia, fratrem se ipse Solis & Lunæ nominat. Philosophi Regem cum Sole comparant; quod ut ille ceteris in celo syderibus fulgore præstat; ita hic ceteros in regno suo potestate antecellit. deberet fulgore animi, virtute. Mystica etiam disciplina, Sol regem repræsentat. ut hoc loco Solis radijs clariùs nitet. At Symbolon de pluribus est: Non cernuntur & adsunt. Quid tum? Nam in suo quisque regno solus est Rex; ut Sol in celo. Et Soles sæpe plures ex repercussu luxere. Quo tempore bellum cum Mosco auspiciati sunt, Poloni, Sueci, & Tartari, Holmiæ, quæ Suætiæ metropolis est, & Regis sedes, quinq; Soles cum Aurora subito exorti incrementa, quatuor paulatim sumserunt. Post meridiem decreverunt donec relicto, uni verò, & soli Soli, celo, paulatim omnes evanescerent. Nec plures annos ferè vixerunt, quam horas apparuerunt Soles. Theodorus Moschorum, Stephanus Polonorum, Christianus Danorum, Ioannes Suecorum, qui fato suo postremus omnium functus est, Reges. concessò, ut celi, ita & terræ imperio, soli, cujus perenne est, Deo. Licet igitur pace Horatij, Reges appellare Soles: & licet Brutus, regni odio pugnaret, erat verè tum sol Asiæ. in quo ferè solo non libertatis modò amor, sed & prisca virtus resplendesceret. Bene est, jacta sunt hujus disputationis fundamenta. in ipsa Symboli verba, veluti ariete nos oppugnarent: Non cernuntur, & adsunt. Sol enim & cernitur & adest. dicet aliquis. cum autè abest; què cernit? Sed ex fæce vulgi, aliquis. Nam Solis beneficium noctu etiam sentimus: & Solem contra tueri Aquila possit, nos non possumus. Major dubitatio angit me: quo illud pacto ad Reges aut Principes referri possit. Cernuntur enim quamvis nonnulli se subducant quod primus Medorum Rex fecisse abs Herodoto, post à Suætonio Tiberius proditur. & illi concilianda fama

fama erat Majestatis, ex privato, Regi facto) cum adsunt: & cum non adsunt, non cernuntur. Sed me dubitatione, liberavit memoria Cyri, qui Oculos: Dionysij, qui Aures instituit. id est, Aulae delicias, qui omnia speculati referrent ad dominos. De Cyro vult nos Xenophon credere, cognoscendae & remunerandae virtutis gratia, lectos esse viros graves ac bonos. De Dionysio dubium non est, quin metus causa, homines perniciosi populo submiserit. Nunquam enim bonos laudat hic fucus; sed bonorum vite & bonis inhians (quandoque enim immittuntur in bonam damnatorum) falsa nunciat Principi: & ut verisimilia faciat similia suspicioni affert. Sub Tiberio & successoribus multum potuerunt. T. Vespasianus, salubri consilio, memorabili exemplo ex aula, ex urbe, ex Italia, in Insulas desertas deportari iussit: in quosdam severius animadvertit. quamquam nihil tam atrox sit, quod non delatorum scelus superet ac vincat. Seianus Tiberio, Plautianus severo, cum his artibus occupassent animos Principum, nequaquam levium, paene, cum vita, imperium ademerunt. De his fortasse satis. Iam enim intelligo principes adesse, etiamsi non cernantur. Hoc autem nobis propositum erat, non ad illustrationem Solis ad sententiam.

LXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Sive roborarium, sive vivarium mavis, circumseptam cervam vides: & jam non parturientem, sed parientem ferere. Quod non minus mirere, audis: A semitis impiorum elongor. Quae enim dicti & ficti symphonia? sensim fodes. Plinius narrat cervas partui vicinas, a ferarum latibulis secedere, ad non semitam, sed propinquiora semitae humanae. Et hanc naturae solertiam, malitiam appellat. Mihi videtur prudentia ex maximo discrimine, si omnia circumquaque periculosa & infesta sint, in minus sese conjicere. Hoc naturae institutum cervae sequitur, in vivario etiam, cum pluribus feris inclusa, eadem de causa; quod hostium suorum omnium, Homo placidissimus sit: & non internecionem gentis, at usum quaerat. Quemadmodum igitur cervae partui vicina, cum sibi, tum hinc-nulis consulit; ita nos parturientes aliquid, vel Deo ad gloriam, vel confortibus ad salutem. honestamne voluptatem, feros & intractabiles animos effugere, aut saltem vitia (contactu enim omnia foedant) convenit enitare. Quae in re, quod nobis cum Salomone conveniat; non erit longior. Lucem enim non orationem quaerimus. Comparationem Gentis aut Hominis, quivis secum instituat, si quando usus feret. Ego offensam omnium, quantum in me est, exemplo cervae declino.

ss

LXXIX. HIE-

Cardinales S. Rom. Ecclesie


Raphael Riarius presbyter Card:
S. Georgij

Joan: Baptista Cigala Genue: Diac:
Card: S. Clementis Epis. Perusij



Zacharias Delphinus Venetus presb:
Card: S. Eustachij Epis. Iauriensis

Alexander Campegius Bononiens: presb:
Card: S. Balbani



Joan: Franciscus Gombara Diac. Card:
S. Hadriani Epis. Prenestinus

Stanislaus Osius Presb: Card: S. Cle:
Epis: Wavmiensis



67

LXXIX. HIEROGRAPHIA.

De hoc remo & orbe terrestri P. Iovius prudenter. Nam Mystam vanitatis damnat. Magni animi fuisse non negat. Sed ut in magnis animis, inest plurimum, insana & infinita gloriæ cupiditas; ita Riarius ad conata sua magna innuebat sibi opus esse gubernaculo orbis terrarum: quod tum magna parte Pont. Max. gubernabat. Ostentui igitur omnibus fuit, Leone X. Pontifice salutato. Ac ut proni sumus in ruinam, si quando labi incipimus; ita hac spe cadens, cum Petrucio conjuravit. & exutus fortunis relegatus est Neapolim. Neminem libens perstringo: maligni enim animi est: & carere debet omni vitio, qui in alterum convitijs debacchatur. Nunc Iovium sequor, si non eloquentia; modestia. Et ex re tam litteraria, quam publica est; in Hierographia, ut Historia diversa cxtare monumenta rerum; ut habeas, quod sequare, quod vites, Paullò antè per Soles, Princeps Mystæ prudentia, nobis sistebat præsentis, etiam absentes. ne cui malediceremus Principi. non quod liceat maledicere privatis; Sed quod illud plerunq; periculosius. ut ut (Iulius Cæsar dicere consueffet: In libera civitate, debere liberas esse hominum linguas. Nam etiam si fuerit libera; sit serva, uno rerum potito. Certè non diu fuit, ut Tacitus non tacet, quin inter crimina Majestatis, quas non fuisse cavillationes ostendit, referretur. Nunc Mystæ vanitas, Dei metum acuit. Factum enim Mansuetudo illa averfatur, ut exitu vanæ de se opinionis Riarij declaratum est. Nam à tanta dignitate, in tantam indignitatem divinitus incidit. Ac ne quis fortuitò omnia evenire, vaniori ore contendat; ne sententia Herodoti quidem Deus finit nos *φαιλάειος*. Sed ut summa quæq; ferit fulmine; ita magnos spiritus comminuit, & pessumdat consilia superbiorum, arrogantiumq; hominum. Hoc omni seculorum memoria observatum. procul à casus temeritate, ad legis certitudinem accedit.

LXXX. HIEROGRAPHIA.

Mystra natione Ligur, in mari etiamnum versatur animo, ut difficile est patrie, & quibus à pueritia affluveris, oblivisci; Licet Romæ versaretur. Non tamen mare tantum animo subjectum Ligusticum illud; sed omnia maria, omnes regiones, imò Oceanum habuit cum terrarū orbe universo. Quod certius videbimus, si loquentem audiemus: En curas hominum. Non enim has tantum norat, quas notat. Sed ut nautæ, vitæ prodigij se & sua omnia, sævisimis & infidissimis, Mari ac Vento exponunt, lucelli causa; ita lucri, imò detrimenti, exitijq; gratia pericula maritimis longè majora, & terra & mari Mortalium multi quærent. Prætervehamur Piratas, qui metuentes, ut metuendi, classibus mare infestant. Evitemus Prædones, qui vias obsident. Quid Annibal per Alpes quærit? aut Alexander petit terra, mari? Gloriam. si ita appellari debet, assentatio familiarium, & stupor imprudentium. Leander de specula se præcipitat. Amoris ergò Fabulosum est, sed nihil verius, quam hujus vanitatis causa, multos & in aquas & in flammam incurrere. Nullus enim est ulli terminus cupiditate aliqua enormi, quæ modum nesciat, semel inflamma-

G

to. Am-

to. Ambages faceffe. Eadem fidelia omnes, five terra, five mari victi-
tent, Myſta denigrat.

LXXXI. HIEROGRAPHIA.

Vel ex hoc apparet, Deum eſſe ſolum, qui hæc omnia condidit, con-
tinet & gubernat; quod ceteris ſua ſint oppoſita: varietas enim naturam
colorat, & diverſitas conſtituit. Si omnia eſſent aut idem, aut unum; non
eſſet hæc rerum ſeries, varietate delectans, multitudi-
ne ſatisfaciens, copia adimplens. Luci tenebræ repugnant. & tantum aude-
t, quod nihil eſt; contra id, ſine quo nihil eſt. Quæ diſcordia nobis concordiam conciliat: nox enim dat conſilium; & feſſos diurno labore artus, nocturna quiete reſcimus. Hæc pro Deo, contra impietatem noſtræ tempeſtatis. Nam ſi Natura nihil facit fruſtra; nihil Deus absq; providentia. Quod ad Solem hîc inter nubila reconditum attinet; ad depellendam de animis caliginem ſpectat. Quemadmodum enim nubes denſæ Solem abſcondere nonnunquam poſſunt, nunquam verò tollere; ita & virum bonum ac conſtantem, premere multi & multa poſſunt, ac ſolent. nihil, nemo opprimere. Cùm ut ille ex nubium atrocitate; ita hic ex ærum narum varietate tandem erumpat. Ac quod in Sole cernimus, nitidiorem ſe ipſum exiſtere, ubi ex tenebris illis emerſerit; idem in viro bono animadvertimus. ſe ipſum majorem evadere, exercitum ærumnis. Nam ut iſtic fulgor aliquamdiu reſpreſſus, & in ſe coactus, clarior erumpit; ita hîc virtus deſpecta quodam tempore & compreſſa, ſpectatur illuſtrior: ipſaq; honeſtius attollit caput.

LXXXII. HIEROGRAPHIA.

Serpens per pyramidem humo ſubvehitur, & jam proxima ſaſtigio eſt. Res, quæ in oculos incurrit; non indiget demonſtratione. Si modò ſerpens hæc eſt, & non ſerpens virtus, non obliquo, at recto gradu. De virtute enim quæ per ardua & magna auſa inclareſcit Myſta interpretatur. Sed Myſtica traditione ſerpens denotat Prudentiam, quæ eſt ſpecies virtutis. Nihil obſtat noſtræ ſententiæ. quod τὸ ἡγεμονικόν gubernet, & ſociarum non ſocia, ſed regina ſit. Sed qua de cauſa per Pyramidem? Quod hæc ignis figuram, unde & nomen accepit, referat: Ignis autem celum petat. Noſtra autem Pyramis eſt S. Spiritus, qui propter vim Amoris erga nos, refulſit igne clarior. Hunc ſi mutuo amore circumplexi ſequeremur, terram calcantes, teneremus celum. Et quid mortalia tantum quærimus; ſi non eſt mortale, quod optamus? Mittenda terra eſt, quæ tamen amittenda: cui propoſitum eſt in terra nomen immortalis: in vita immortalis, vita non tantum perennis, ſed & beata. Animadverto, per Deum rogo, quàm paucis multa percipimus: & quàm utilis ſit, quæ ad voluptatem modò comparata exiſtimatur, Myſtica doctrina. Me proſectò nec piget, nec tædet inchoati laboris. quanquam amico ingenioſo, non meæ famæ propoſitum fuerit inſervire.

LXXXIII. HIEROGRAPHIA.

Quem vomerem appellat M. Cicero, dentem unicum nominat P. Virgilius.

gilius. Non verbum expono; sed hic mihi magis rem in medio ponere videtur: ea enim forma est, aratri ferrum, in burim insertum, quod liras ducit. Hoc autem ferrum, ut quodvis aliud, usu splendet. Aratri tamen ferrum sive momerem, sive Dentem unicum mavis, Mystra sumsit: quod hoc ferro nullum sit justius, & Porfenna omnem alium ferri usum, præreptum voluerit Populo Romano. Stivamnè ergò tractabat, aut colebat agrum? Nec enim Reges Persarum, aut duces populi Romani abhorruerunt à re rustica. Non opinor. At in liberali ocio, liberalia studia confectans, à cultura agri, similitudinem trahit, ad cultum animi. Et cum se consolans, tum alios docens, exercendum esse ingenium, convincit. Nam si ferro durius aut obtusius sit; tempore mitescit, & ut ferrum, splendet. Et fortasse non ingenio solum operam dabat, sed & corpus curabat, quod Plato vult Musica & Gymnastica. Cum enim alterius indigeat ope, in eo commercio alterum corpus efferatur, neglecto ingenio: & rursus ingenium se perdit, si negligat corpus. Longius etiam comparatio derivatur. Nam ars atque disciplina omnis, præter naturam & artem, exercitium requirit. Quo laudabilior Mystra qui re facili & trita, rem difficilem explicat: & ab ocio vagum militem ad castra: Luxuriosam pubem ad studia: ignavos opifices ad opus, & ad suam quemque officinam, quod ne illi quidem, qui istos regunt, ulla ratione vel oratione possunt, paucis verbis, si quidquam sapiunt, revocat.

LXXXIV. HIEROGRAPHIA.

Quis hic cervum sublatum humeris, & quò portat? sive focius Vlyssis, sive Aeneæ, ad navim. De alterutro autem, aut utroque, hic enim illius personam induit, cogitasse crediderim Hosium: vir enim omni politiori litteratura fuit excultus; dum imaginem funderet. Si non memoria natalis soli & venationis Polonicæ species aliqua, animo obversata est. A sententia viri nihil abhorret. Nam onus, quod humeris grave susceperat, animus grandior suave faciebat. Nihil sanè erat tam grave aut difficile, quod Christi amore aut studio Reip. detrectaret. Quocirca nullus venatorum, quamvis non modò voluptas, sed & necessitas huc impellat, ita exultat, inter latrantes: & quasi gratulantes victoriam, parta præda canes; ut vir bonus & pius oblectat se rectè factorum conscientia. Non ignoro Herculem cum cerva, cujus ærepedes fuerint, & cornua aurea, Luctatum esse. habitabat in Mænalo. Cum autem nollet interimere, ne violaret Dianam, cui sacra erat, cursu annum totum fatigasse: & effugientem ad Ladonem amnem, jam jam tranaturam comprehendisse, Mycenamque, quo jussus erat, humero deportasse. Sed hujus ante exhibita suo loco facies est: ego autem varietate lenior fastidium, nausea non onero. & hoc loco, feræ moles, succolantis faciem abscondit. Iam Valerius observat ruminandi vim significare pietatem, & studium angustioris doctrinæ: Bisfidum verò scientiam discernendi, verum à falso, justum ab injusto, piùm ab impio. Est autem Cervus ungula bifida, & illa facultate ruminandi præditus. Quare & Hercules sit Mystra, quod sacra susceperit, non profanarit. & sit cervus, vel sustinens molem Cervi, quod pietate juxta atque eruditione, nulli fuerit, in angustissimo illo orbis terræ concilio secundus.


Cardinales S. Rom. Ecclesie

*Georgius de Armiaco Gallus presb.
Card. S. Crucis in Hiern. Epus. Masill.*

*Nicolaus Fliscus presb. Card. S.
Marie in Aquino.*




*Frater Vgo. de Verdala Presb. Cardinalis et Magnus
Magister Equitum Militensium*



*Aloysius Venetus Diac. Card.
S. Theodori. Miles Hierosolimitan.*

*Franciscus de Mendoza Hispanus
presb. Card. S. Joannis.*



LXXXV. HIEROGRAPHIA.

Magnus Mystæ animus. Licet enim generis splendori adæquasset honoris summos & illustres gradus, Altiora, inquit, peto. Quæ, amabo, Præful Mafiliensis, Cardinalis Romanæ? Si Armeniacorum gloriam militarem, quid Deo te mancipans, repudij libellum, misisti instituto Majorum? Si Pontificiam dignitatem, Deo te, à quo illa dependet, & spem tuam permitte. Multi olim peregrinorum, id fastigij attigerunt: nec jam, si meretur Roma est, exteræ inimica virtuti. At mihi videre propius ad fastidium honoris Mundani, quam desiderium venisse. Nam cum altiora non sint, his, in quæ natus & cooptatus es, in terris; petis haud dubiè, quæ infinita sunt, alto & sublimi loco, in celo. O te beatum, & vel hoc solo, omnibus majoribus majorem. Quid enim majus, quid grandius, quid sublimius, vel ista spe, vel hoc animo? Discamus æmulari principem virum; & qua avellimur, humo tollamus, ad celum, quo in nitamur, oculos. ubi vita immortalis, quæ hîc mortalis: ubi vera quies, quæ hîc nulla: ubi solida bona, quæ hîc fluxa. ubi denique tanta felicitas quantæ hic ærumnæ. Pia oratio, inquires, Et tempeſtiva, inquam ego. Myſta enim arborem sibi proponit: ego nobis arborem inverſam, ipſum Myſtam. quem nobiscum Deus, in celum crexit: & oculos ſtupentes rerum miraculo, fixit polo. Arbores ſpectare, quæ nescio quo genio ad celum enituntur, & inter has aut Robur, aut Abietem, quarum hæc proceritate, illa pollet robore, hominem tantillum. imò altiora sibi promittere, his, quæ caput inter nubila pœnè condunt, ridiculum videretur: ni obviam itum ſtupori eſſet. In confesso enim eſt, Animi magnitudinem, longè majorem eſſe: qui non tantum nubes ingreditur, verum & in celi regiam ſeſe inſinuat. dignus cum ſpectet ac rimatur omnia, quem omnes ſpectent. Divinæ enim eſt ô Homines, non humanæ facultatis.

LXXXVI. HIEROGRAPHIA.

Qui præcipit, Avia ne torſeris, ſaluti noſtræ conſulit. Si enim quiſque ſuum munus obiret modò, nec à via honeſtatis deſlecteret; maxima eſſet domi felicitas, & in civitate pax. Nunc cum alter in alterius poſſeſſionem, officinam, functionem involat: & pauci ſuis contenti vivant; forum clamoribus perſtrepit, ex foro in aciem deſcenditur, & homines non humana lege, controverſias dirimunt. Hæreat igitur hoc nobis infixum pectori Symbolum: & cum res noſtras agimus, ne attrectemus alienas. Honeſta oratio; ſed qui convenit, cum Symbolo Hierogrypton? Utinam nobis inter nos ita conveniret. Vipera virtus vel functo. & malo hercle, quàm uſu, cognoviſti. At illud virtus, ſua arma, hoſtis perniciem, vipera evomit, congreſſura cum Muræna ut Oppianus lepidè ſcribit. Cardanus etiam putat Viperas, quæ aquas habitant, parum habere, aut nihil veneni. quod non ſuo loco ſint, haud dubiè. Nam Hydrus, non quod in aqua natus minus habet veneni, ut Plinius docet. Sed Vipera in nexu eſt, inquires. Eſt ita: fatiſ enim vincit eſt; qui innernis eſt. Qua de cauſſa fatiſ mira-

ri nequeo, esse homines, qui audeant non tantum sentire, verum etiam dicere, imò scribere & posteris proderet: non esse bello decertandum, cum Turcis. quasi in nostra manu pax foret: & non Barbari tantum vellent, quantum vitenere, atque occupare possunt. Non esse arma, nisi pie & justè, contra ullum: adversus potentiorum, nisi necessario quoque sumenda, concedo. Ergò cedam potentiori, si digitis concrepaverit, ut mancipium hero? aut impia, injusta faciam imperata? stomachor, non fateor Turcas in servitute potentiores esse Christianis à Deo, Europeis Natura liberis. Dum nos continemus nos, intra cancellos nostros justa etiam & prudentia, non temeraria arma statuo. Verum si Turca exorbitat, hac via, ut vipera, in plagas incidet, dices. Haud abs re. Sed viros providos & fortes, non aliena, at virtute sua, armari video. ut, quidquid superat, in lucro ponendum sit: non dandum hosti, ut nos fallat: socio ut decipiat. Ponendum in virtute nostra, quod opponendum fallaci socio: hosti importuno & semper molesto, Ita jus magis laudatum est, quam tutum.

LXXXVII. HIEROGRAPHIA.

Apologus Aesopi est, puerili etiam sermone tritus: Gruem, cum aliquando ad vulpem divertisset, sapius innotata, abijisse jejunam, quod callidus & avarus hospes, in Lancem, unde sorbere illa non posset, omne prandium effudisset. Patienter qui fert, cumulate refert injuriam. Vulpes igitur esuriens, cum ad Gruem post venisset; prope illa succincta lumbos, sedere iussa, apparat cibum: ac fluitantem jure in Bóbilio apponit. &, quin admoves manum, Reinalde? inquires, num quæ de veneno, tibi suspicio? Pone metum, ego prior, labra admovebo. Dicto citius, rostrum per os angustum ingerens, totum, rigente Vulpe, exorbitat. Sic fraudem fraude compensavit. jure. quod talionis non injustum est. imò justum cretizare cum Cretensibus. quemadmodum Romani dimidium navium cum Rege Vertumno pacti, secari omnes jusere: & Regem tota classe exuerunt. Quamobrem vera virtus, non modò laudatior, verum etiam securior est. ne quis decipere malit, quam vera virtute laudem capere. Nam latere aliquamdiu possumus. Tempus est, quod ut colores Sol, adventu omnia discriminat. Cæterum dubitarit non injuria quispiam, quid fabellarum scriptor, vel inventor potius, cui nemo se possit, ad hanc usque tempestatem adæquare, gruem cum vulpe commiserit, quos neque Plinius ut opinor, qui de amicitia & inimicitia animantium, jucunda & stupenda scripsit, neque alius antè simul in scenam adduxit. Quod vulpinam solertiam, malitiam quandam; gruis verò, propiorem prudentiam judicavit. vulpes enim dum alienæ saluti infidiatur, suæ obliviscitur. Grus contra citra aliorum injuriam, in rem magis publicam, quam suam incumbit. Nam si quod est cum Pignæis duellum, pro grege est: & apertum est. Vulpes pro se tantum singulæ agunt, & ex insidijs tectæ latebris nocturnis plerunque agunt. Non igitur bruta animantia exhibet, sed malitiæ prudentiam: & viro vafro, virum bonum, candidum, apertum ex diametro, in clarissima lepidaque imagine, eleganter opponit.

LXXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Sive ventus sit aër motus, sive, quo celum resonat, & tellus verrit, alia spiraculi definitio; nihil hoc loco ad nos. Ventos fuisse observatos olim tot, quot sunt plagæ celi, notum est. Et paullo post totidem sese inter latera ingerere observatum. Hi orbem terrarem hîc feriunt. Licet totidem post, non orti, sed notati. quos diligentior observatio jam duplicavit. Quod autem finiunda sint omnia, & hic nullus sit finis: Quidam enim 64. ventorum genera introducunt. quibus si jesserimus, erunt etiam, qui plura) maneamus intra cancellos sculptoris. Vna ruunt diversi celi regionibus, & in terram incumbunt, eodem impetu ac tempestate, pugnant inter se venti. Nec octo soli, si placet, sed quotquot habet in potestate Aeolus, Mares & Fœminas (sexu enim distinguit Homerus etiam) terram verrant. Ferunt fata evertunt testa, tentant sublimia, quatiunt cavernosa fortasse. Terram loco non movent, non solvunt cardine, non subvertunt. In quæ dùm intueris, ventus haud aliud simul facere videris, quam servitia. dum vel pavementum, vel cavedium verrunt, quædam hîc submoventia, istîc extirpantia. Suo relinquunt terræ globum, ut, scoparij, domum loco. Et hoc est, quod Mystra dicit: Semper immota. Tellus scilicet. Quid novi aut inauditi dicit? inquires. Fuere olim, quos etiam bella ingenia nunc sequuntur, qui contendunt terram moveri; celum stare. quod hoc dignius sit quiete superum. Quod autem nobis moveri videatur celum, non secus evenire; quam qui navi vehuntur: quibus videtur moveri terra. His igitur qui fidem, facere velit, nostræ sententiæ; ea nova apparebit, & contrà erit argumentis pugnandum. Cum ejusmodi ingenijs, negotium nobis non esse, satis ipse scio. Non tamen repudio veterem Mystræ, quod vera, sententiam. Sed quod probata vulgò hominibus, facile sino me, gnomiæ admoneri constantiæ. Si enim immota stat tellus, tot ventis, tanta conspiratione, impetita; quid facere & pati Mentem decet, in Deo, longè firmiter, quàm terra est centro, fixam? Nam facere honesta & pati æquo animo, æqua & iniqua: secunda & adversa: lata & acerba. multò præclarius est, quam ventis obluçari.

LXXXIX. HIEROGRAPHIA.

Considerate Lilia agri. Quis hoc præcipit? qui condidit. Est profecto Natura spectatu digna: & singulæ ejus partes dignæ admiratione. Nihil enim est in toto, nihil in partibus, quod non referat Majestatem Conditoris. cum utrobique sit materia, Forma: &, non Privatio, sed unio utriusque. Non evagabor longiùs, ex quo subjecta oculis Lilia habemus. Quid enim non considerem? quæ rudimentum Naturæ, Lilia facere condiscantis, flos nascens per frutecta, convolvolum nominat Plinius, perquam similis colore, non odore, antecedit? quæ facta, Ars æmula Naturæ, inficit & tingit: altiùs condit & citiùs tardiusq; producit? Ros nobilitate cedant, aras, ut illæ decent. & proceritate omnes superant flores. Candor eximius est folia striata foris, & ab angustijs in latitudinem calathi more, paulatim sese pandentia, resupina per ambitum, labra,

68.

labra, stamen tenue & croceum. Est & rubens liliū quin & purpureum. ne rosis colore cedant. Narcisum vocant majoris, sed unius bulbi. Ita quædam, ut nisi sumus, de Lilijs quæ oculis patent, consideravimus. Penitiora Naturæ, & devinctus insita, promit Galenus. Ac quidem, quid Naturæ & pactium consideratio, ad rem afferat, ceperam dicere. Quæ quod generica, & ab omnia, ratio pertineat; exploremus nunc, quæ peculiaris causæ sit Lilia agros decentia, contemplandi. Oblectant oculos, & profuso odore, nares quoque demulcent. Sed dum sensus titillant, quo sensu ad animum transeunt? Numinis reverentia per fusos. desperare vetant egenos: luxuriare divites. Nam cum Liliorum divitias adæquet labore nemo; quid hi se efferent? aut isti immoderatè ferent fortunam? quam potens rerum dominus subitò mutare, & ab his ad illos transferre potest? nec rarò solet? Magnum & dictu manis in utramq; partem, ad confirmationem animi, nunc nimium torpentis, nunc pariter lascivi, momentum.

XC. HIEROGRAPHIA.

Quid in mentem venerit Plinio, & qui hunc secutus est, Galeno, ut scriberent viperarum catulos, per matris viscera in Lucem eniti; Matthiolus comperit usu veritatem, & catulos, cum præclara genetrice, incolumes depræhendit. quemadmodum antè Apolonius Tyaneus. Nec Aristoteles scribit viscera perrodere, sed membranam qua in utero matris obvolvuntur, ut citius in lucem prodeant: illa enim singulos singulis diebus parit. vulgatam fabulam secutus est Mysta, quod vulgo & scene serviat, volenti magis nova, quam bona: amanti minus vera, quàm verisimilia. Et attonitis miraculo rei: quid enim indignius quàm ab his perimi, quibus vitam dederis? sententiam occidit, plausibilem & veram: Ingratis servire nefas. ut sentiamus, quid sentiat. quemadmodum videmus, quod commonstrat; Parentum ergà nos merita recolamus primùm: à quibus deindè parentum indulgentia habitum: postremò omnium, quibus aliquo beneficio devincti sumus. Sic scilicet, ne infanda faciamus; nobis prima erit cautio. Proxima erit in delectu, his famuli: illis domini, omnibus amici. Multum enim hîc peccatur. & fit, ut infanda patiamur. non, quibus malè fecimus, sed in quos malè beneficia contulimus. Est quidem de omnibus benè promerendum, quod homines sint. quanquam vir non imprudens benefacta, malè collocata, malefacta existimet. Sed videndum quibus cum possimus coalescere: & in interiorem familiaritatem transire. Sunt enim homines invidi, maligni, ingrati, in quibus nihil est hominis præter formam. & hæc vel pilo rufo, vel facie adusta, vel felle perfusi, vel corde asinino, vel fronte canina, vel aliqua denique alia nota noti, & deformati. Ab his mihi cave inquit Mysta. Nam ingratis servire uti noxium, ita nefas. Quid enim hoc aliud est, quàm salutem suam, quam nobis natura tantopere commendavit, prodere? Nero non pepercit parenti: Nec herele Lenas patrono. aut Brutus Cæsari, à quo etiam hæres esset scriptus. Tam intractabiles hominum animi sunt, ut ca-


ut cavere nobis jure debeamus. Principes imprimis, quibus ejusmo-
ejusmodi serpentes simulatione quadam obrepere consueverunt. Quod
ipfos non latet. Sed ut scabie sua quisque, suo malo delectantur. &
cùm potentiores exigant aula, in sinu hominem abjectum retinent
Scriba tamen, proditis Thebis, ut Plutarchus narrat, potentiam
Spartanorum dissolvit: & scriba Gambacurtaon Pisa-
rum, ut Macciavellus scribit, dominatu, do-
minum suum ejecit.

§

Cardinales S. Rom: Ecclesie

Hieronimus Palmerius presb. Card:
xii Apostolor. Archiep. Baren:


Innocentius Cybo Genuens: Card:
Diac: S. Eustachy. S. R. E. Decan:



Innocentius Cybo Genuensis Diacon: Cardi:
S. Eustachy. S. Rom: Eccle: Decanus



Georgius Drascovitus Hungarus Presb: Card: Archiepis:
Colocencis Epis: Jaurien: et regni. Hug: primas.



XCI. HIEROGRAPHIA.

71.

Quod fasciculus Palmarum revinctus benè sit; benè est. Mortalium enim nulli ita colligantur. Inter Prudentes & fortes æmulatio quædam est. ne dicam odium. Si temperantes inter, sopiti sunt affectus, vix potest esse affectio. ut soli relinquuntur ex bonis & virtute præditis iusti, quorum idem sit velle ac nolle, perpetuum ac constans. De malorum & flagitiosorum conjunctione, superfluum est, ut verba faciam, quippe quæ conjuratio sit, non amicitia. Sed ubi tot simul iusti? quo loco? qua in civitate? imò quando? & qua tempestate? unus multis seculis, nomen Iusti meruit: & nescio, an meruit. Quod si tot sint Iusti, quot Thebarum portæ, & hos ramos numero vincant; succidendi non erant rami palmarum. Nec enim truncati florent. Tantum abest, ut fructum ferant. cum ipsa arbor decerpto cacumine sterilescat, ut usus Plinium docuit. Ita nobis prima facie videtur. Intuentibus verò poenitiùs in animum Mystæ, quem credibile est, nihil temere nobis finxisse, aliud longè, necesse est apparere. Superat enim. Iusticia, ætate Palmam. Temporanea scilicet hujus vita est, illius æterna. Aut quid injustius esset, Iustissimo rerum conditore, eodemq; gubernature? si non alius esset flos, aliæ fruges Iusti, quàm Palmæ? Nam Iusti plerumque in hac vita, quæ Palmæ, nobiscum cœva est, torquentur, affliguntur, enecantur. Taceo de Aristide. ^{æq;is} **Q**uoniam omnium Christus, in perpetuis ærumnis vixit & mortuus est in cruce. Qui Christum verè sequuntur, hos quanta invidia sequatur, imò comitetur ipsos Christianos inter videre est. Nam sub Paganis, tam clade sunt, quàm pietate insignes. Excipit igitur alia hanc vita. de qua dubitent scioli. Sensere fortiter Pagani. Xenophon, Plato. alij. Sed Principes notasse, utrumq; Socratis discipulum, satis est. ut igitur ramis Palmæ succisis, suum decus manet; ita justos fruges iusticiæ manent suaves & sempiternæ.

XCII. HIEROGRAPHIA.

Quod cribrum Cicero, incerniculum Plinius nuncupat. ego neminem doceo. sed quod à cernendo, hoc dictum sit; & hîc, ut cernis, & audis, bonum à malo secernatur. Ex pertusa membrana, ut nunc, olim fiebat. Ex fetis equinis Galli invenerunt. quod nec debui præterire: Video enim setaceum cribrum. Quos rædet vocum, quibus tamen sine, animi sententia, incommodè & insulsè exponitur; ad rem animum convertant. Quemadmodum enim pollinem cernià furfurum videmus recrementis; ita à bono malum discernamus, ne in rerum confusione, offendamus, decet. Est autem distinctio pœne faciliior. Nam ut hîc recrementa, motu defluunt; ita ne mota quidem, intende aciem modò, abeunt prava in ventos, falsa in favillas. Sunt qui nobis fucum faciant, & subrepant blandiendo. Sed, crede mihi, nullus nos deciperet, ni captos amore exitij, & perniciæ nostræ. Aliud nomen, quo vitia appellem, concinnius non reperio ex tempore (Quàm benè non dico: quàm citò scribam, scio. quod ipsa præcepti dictio indicat fortassis) Nam nos nisi bonum à malo separamus; ut illud sequamur, hoc vitemus; incidemus in manus, tam

severi iudicis, quàm nunc mitis patroni: qui cribrat diligentius: & malos in perniciem segregat à bonis & beatitate aeterna.

XCIII. HIEROGRAPHIA.

Cinyra Agriope filius, præter alia, invenit incudem, ut Plinius, rerum aliquot inventores ordine recitans, commemorat. Est autem moles illa, in officina ferraria, supra acmothetam, in qua ferrum tunditur, non vanis ictibus, sed ex quibus, vocum modulatio, si, quidquam credimus priscis nata. Transfertur ad alia. ut versus malè tornatos, quos Horatius incudi reddit: orationes, quæ Ciceronis vim sine follibus & incudibus non spirant. Mysta hîc ad animum transfert. aut quæ animi decora sunt, fidem in Personis, constantiam in rebus. Atque hoc mihi loco magis placet quàm alterutro istorum, vel utroq; isto. Nam si scitè loqui aut scribere, in laude & pretio est; quantò laudabilius facere? non addo pretiosius? Virtus enim seipsa contenta est: & viro bono longè sonantior est, conscientia rectè factorû, quàm ullius amphitheatri vel consonantia vel frequentia. Rei gravi & inconcussæ verbum plenum gravitatis Mysta adæquat: Durabo. Magno certè & intrepido animo, eum esse convenit: qui in tantis fortunæ injurijs: hominum insidijs: naturæ necessitatibus. constat sibi: nec de gradu viri boni & constantis vel hilum potest moveri. Et est quidem hujus magnitudinis magna pars in affectione animi collocata. quam conditio rerum humanarum in medio posita confirmat quidem; Sed Deus inprimis, à rebus caducis ad aeternas revocans: & in his ipsis ærumnis, non rarò, imò quotiescunque nobis expedit, subveniens.

XCIV. HIEROGRAPHIA.

Quoties dicendum est, Solis imagine, Dei Majestatem à Mystis exhiberi? Certè nec obeliscus, recens est constantiæ animi figura. Quemadmodum igitur dies est, quamdiu, supra axem nostrum, ab ortu ad occasum decurrit; ita sine fine erunt, & quidem beati ac felices verè, quos Deus, Sol miserationis, collustrabit. Non enim ut Sol oritur, & occidit; sed radios infinitè bonitatis semper diffundit. Quid igitur inter mortales immortalia somniamus? quæ in superûm sede, si sapimus, nobis certiùs possumus polliceri? Non est nomen contemnendum, aut omnis de fama abijcienda cogitatio est. Fama enim nominis, incentivum est virtutis: & qui quid de se homines sentiant ac loquuntur, omnino negligit; non tantùm profligati nominis est, sed & vitæ morumque. Sed famæ gratia velle omnia, hominis vani est & futilis. Ab aura populari, res ad certius iudicium traducenda est. Et non hoc agendum sudandumq; qui placeamus populo; at qui non omnino nos improbet Deus. Hac via non nomini modò decus, sed & animæ salus paritur. Quamobrem qui sine fine es, Deus; sis propitius, & ad sis nobis perpetuus, ut posthac (satis enim peccatum est) omnia ad nominis tui divini gloriam referamus: & Majestatem tuam unanimes, in celi regia, continuo & perenni encomio collaudemus.


73.

XCV. HIEROGRAPHIA.

Amabile columbarum: Turturum etiam fidum conjugium. Opus non est verbis, in re sermonibus vulgi etiam celebri. Iuvenilis igitur amoris, aut furoris veriùs, id erit Hieroglypton: hoc verò thori maritalis. Quid cum connubio, Mystæ, viro cælibi? Non connubium, ipse curat duorum in lecti societatem consentientium; sed curæ est Pannoni, patriæ salus. Nam per societatem Turturum, priscam Hungariæ utriusq; concordiam, & hoc nomine tremendam Barbaris intelligit, & plorat divisam Hungariam imperijs: Ferdinando enim legitimo Regi, Ioannes Sepusius se objecit. ut me imò Mystam paullo attentius audias, & facilius capias. Iugum confractum, est regnum Hungariæ superæ & inferæ, Ludovici morte lugubri & intempestiva diremptum in partes. Licet enim fractum ac divisum sit, iusto Ferdinandi, & iniusto Ioannis imperio; neutram tamen liberam statuebat. quod discordia Principum, portenderet ruinam totius regni. Hæc profectò viam Turcis stravit. ut ferè vitijs nostris vincimur, non virtute Barbarorum. Quid de Hungaria queror? quam Deus Cæsari salvam præstet. labefactat discordia, res totius Reip. Christianæ. De Hungaria quærebar potius. quod sola impetum sustineat: & interpretandum susceperim hoc loco, oraculum verius Drafcovitij, quàm Symbolum.

XCVI. HIEROGRAPHIA.

Et hæc Drafcovitij est. Illa studium de Re pb., hæc institutum benè de omnibus promerendi ostendat. Leonis fortitudo, quin & gratitudo, non tantùm fama, sed & usu cognita est. Ac fortitudine quidem, quod se Leoni adæquet, vix quadrupes est. Leo nos gratitudine superat. Ita benè meritis refert gratiam. utrumq; hîc ostendit Mysta. primum in Laniena, non quadrupedum modò: alterum in spolijs, quæ velut in triclinio strata vides. Qui animo Leonino omnes & omnia superavit; Christus omnia sua disperfit, & dedit nobis. Ex cæno in hanc speciem subduxit: in domicilio, imò imperio orbis terræ collocavit: celum aperuit, & ne quid nobis deesset ad summam felicitatis, se ipse liberaliter donavit. Itaq; si se, & sua largitur: non aliena, aut aliena, parta injuria, multis passibus Leonem antevertit. Quæ hac tam iniquè comparata comparatio? Deus est antè omnem comparationem. ut à nobis attingatur, in similitudinem, non similis consentit. Mysta cujus nomen in aula Cæsaris celebre, vindicat; ab oblivione Tiburtius. Himmelreichius secretarius Hungariæ dignus hoc nomine & munere, quæ à Deo acceperat, imitatione Dei, in consortes generis & pietatis liberaliter distribuit.



Magni Magistri Equitū Rodien: et Militentū.

Franciscus a Dietrichstein, presb. Card:
S. Sylvestris Episc. Olmuc:

Frater Fabritius Cavettus Magnus Rho:
diensium Equitum Magister.



Frater Franciscus Villadum Gallus
ultimus Mag. Magister Equitū Rhodie:

Frater Joannes Valeta Gallus Magnus
Magister Equitum Melitentium



PATRIARCHE AQVILEGIENSIS etc

Frater Vgo de Verdala Magnus
Magister Equitum Melitensium.

Jacobus Grimanus Patriarcha
Aquilaensis



XCVII. HIEROGRAPHIA.

Inopem me copia. venusta hercle sententia, animi sui liberalitatem explicat Mysta. si tamen explicat. Ita pænè prodigus est, profusus inquam vitij enim illud est) opum suarum. quemadmodum fraude accipi: non enim salutavi internuncium Cæsaris & Pontificis. imò referunt mihi, hoc ipso momento, quo præ manibus erat Hierographia, duo viri nobiles & litterati. Magna magnitudo animi, ferentis & contemnendis divitias. Nam quibus has fortuna dat, nisi altè radices egerit, mentem adimit. Multi sunt, qui opulentia ferociunt: multi qui lascivunt: multi qui profundunt, multi qui abdunt, & quibus eruerunt, reddant visceribus telluris. Quotus quisq; rectè utitur? Irritamenta malorum, & instrumenta, bona fortunæ sunt. Nec admirabor in Didrestenio domi illustri: foris claro: duobus citra invidiam, terræ Monarchis probato: florenti ætate & honoribus, dignam quidem tanto animo liberalitatem, sed raram virtutem? Pomum exhibet, quæ frugum granis rumpitur? Et ipse non sua tantum descerpi sinit; verum etiam se discerpi pænè. Tam est, non munificus modò; sed & officiosus? Reip. causa, quot sustinet labores? Benè promerendi studio, omnium animos occupat. Et hæc species benignitatis est, longè speciosior: & magis probata Cicero- ni; quam quæ ex arca promitur. Nam hæc præripi à fortuna, quæ dedit, potest. ut quæritur D. Ioan. Chrysostomus (in ordinem enim redactus est) Nec enim appetiverat suo commodo lautio- rem fortunam; ac ut alios incommodis suis levaret. Illa, qua magis uteris, eò magis frue- ris. Nam Virtus, hoc habet peculiare natura; ut non teratur sed illu- stretur usu.

I. HIEROGRAPHIA. MAGIST.

ORDINIS. RHOD. ET MELITENSIVM.



IGNUM de columna ex cruce, licet non albere videatur, ostendit esse Ordinis, quem fortissimorum militum, Balduinus de Burgo instituit, Rex Hierosolymitanorum. Duces Stratioton sive Magistros militiæ secutus & æmulatus Carettus, collabantes res, quantum humanis viribus potuit, voluit instaurare. sin minus, relinquias servare. Quem animum, quas sollicitudines, quod institutum, Canis biceps latrat. Est enim canis pervigil ædiū custos. Ac ne videretur posse aut velle obdormiscere: canibus enim sopitis, anseres defendere capitolium: bicipitem canem finxit. Sed & unum caput satis non erat, Barbaris terra mariq; incumbentibus. Ita ergò animatus ad tuendam stationem, frangebatur subinde, & animo subsidebat, inclementiam Divum, & Barbarorum vires increbescere animadverens. ut non cecis omninò, ventus contrà spirans, & Draco marinus pænè excensionem faciens, manifestè demonstrant. Nec enim quero an ea forma Draco sit. Alberto Magno potius concedo, quæ ex Aristotele & Plinio, sumit & variat. imò ad testaciorem immanitatem Barbarorum, indulgeo exaggeranti horrorè penicillo, semper cum clamore Poëtarum, libero. Hæc igitur certò videns, sine dubio, inquit Magister, & non absq; gemitu inquit, actum de nobis est, Socij. ni antiqua pietate

pietate Deum leniamus, & veteri disciplina intendamus rem militarem. falsus utinam vates. sed potestas omnis, ut hîc gladius, in rota, id est discrimine versatur.

II. HIEROGRAPHIA.

Nihil clarius Sole: nihil facilius Symbolo. Nemo Mystæ negaverit, Solem ubique sui similem. Quid igitur & dicit & scalpit? de quo, mortalium nemo, quæstionem movet? Vltimus hic Rhodum imperio obtinuit. ut conjectura assequar, dixisse & sculpsisse, ad confirmationem levium, abjectorumq; animorum. Cingimur obsidione: tentamur cuniculis: oppugnamur machinis. Dira & dura est rerum & hominum facies. Quid tum Socij? Non primum jamcum hoste tetro & barbaro manus conferimus. Si non antè angustiores nostræ res; eò clarior erit victoria. Quò magis à Christianis deserti, quorum mutua odia, ammarunt, & armarunt, eò propitium magis, imò præsentem, credere debemus nobis Christum: cujus nutu, tellus & cœlum reguntur: cujus arbitrio regna instituuntur & servantur: cujus postremò voluntate certa, non temeraria fortuna, bellum & pax juxta administrantur. Quid Turcarum ululatu, non tam hostium nostrorum, quam Christi ipsius, consternamur? semper Christus & ubique sui similis est. Nec ita Soli constans est lumen, ut stabilis, eadem, perennis Christo, rerum omnium potestas. Excutiamus, veluti veterum, pavorem istum indignum viris: & benè Christo juvante, vi vim repellamus. in causa meliori, & Deo æquiori. Hæc & plura infelicem magis, quam ignavum ducem, dixisse putatote. Et verè quidem dixit. Nam Deo magis etiam potentia sua constat, quàm Soli Lux. Sed peccata nostra, Deum à nobis abalienavit. Et certè justius in nos, quam hostes animadvertit, si & nos gravius succensemus nostris, quàm alienis. quando nostri, non nostra faciunt, & nos benè de se meritos, scelerate produnt, aut ingrati lædunt: Nihil hæc ad Hierographiam, sed plurimùm ad salutem Animæ & Reip. Nam de peccatis dolor, animum erigit, animam humiliat.

III. HIEROGRAPHIA.

Iactati falso Rhodij, & solo extorres, Melitam habere tandem jussi sunt ab Imp. Carolo V. Austrio. Nam ut littora proxima Italiæ, erant Italiæ; ita & Melita cui propinqua Sicilia. in cujus imperium & totius dominatus, avo materno successerat. Hæc autem Melita est in cujus specula signum Rhodium cernimus. adversus Piratas, ut alibi & olim & nunc turres erectæ: vel ab advenis, statim, ut omnium rerum quoddam principium est, condita. In quam intuens magister Ordinis, & Rhodum animo nequidquam proponens, dùm alij fundamenta jaciunt, alij materiam convehunt. & in agro sterili, non aureo illo, reliquam spem fortunarum collocant. Nisi Dominus, inquit, ædificaverit domum; frustra laborant, qui ædificant eam. Desperantis quidem vox non est, quod à vera pietate alienum est; sed spem in solo Deo, non isto solo collocantis. Nec ipsum aut successores spes fefellit. Hactenus enim societatem Deus tuetur: & insulam ex arcta obsidione eripuit Cipro post amissa, & cum Guleta Regno Tuncetano.

IV. HIEROGRAPHIA.

Videtur hic, illius sententiam excepisse. Quid enim est exorbita excedere, aliud? quam de via decedere? Vagari? incerto ferri loco? Orbita certe est, vestigium, ut ita loquar rotæ. Via autem, regia, quæ inter duas orbitas. Cùm igitur dicit Gallice, Non excedens ex orbita; supplendum est, ut hiulca ferè sunt symbola, tuebor etiam in sterili hac insula, societatem à Deo constitutam, & fidei meæ creditam. Hoc verò eum velle, Rota vel stridens in orbita sua loquitur. Multùm enim refert, quavis in re sive publica, sive privata, tueri locum atq; stationem: nec sua deserere, aut aliena invadere. Quemadmodùm sanè testudo domi suæ est tuta simul ac exierit caput, oportuna redditur pedibus; ita oportuni injurijs hostium sunt, qui ex munimentis insolenter excedunt, ut militaris prudentiæ, virum non tantùm in rebus bellicis sequendum, verùm & alijs imitandum: & à præclara sententia laudandū existimem. Non me latet, aliam esse sententia militis, ætate incauti & ingenio fervidi. Sed tuta magis, quàm speciosa cepto, horrenda exitu, aut exitio potius, viri cordati amplexantur.

I. HIEROGRAPHIA.

PATRIARCHARVM.



Alvaries cum tibia, aut quo esse humano satis nota est. In hac enim abiit, ista corporis nostri species. Licet robore & specie pollens. O nos miseros? Atq; hæc animo Mystra anticipans, Mors, inquit, omnia æquat. Quid vulgata vulgat? aut animo anticipat molestiam? Quod Christianæ, quin & humanæ philosophiæ sit, de morte meditatio. Natura enim reliqua & à viris bonis ignorari, & sciri ab improbis potest. imò scita sæpius mentem inflat vana opinione, quàm ignorata depravet. Nec natura nosci potest, Morte incognita. Hinc aversi à consideratione Mortis, Naturæ dant, quæ Deo debent. De Morte cogitatio, mentem sublevat, ad Parentem Naturæ. Qui enim videt hanc naturam esse mortalem, cui conditam & natam Naturam Stoici viderunt; in naturæ, imò in sui, quæ difficilior est, cognitionem veniunt: & ad venerationem Dei accedunt, qui Mundum hac forma finxit & distinxit. Hæc igitur in causa sunt, quod Mortalibus sub oculos Mystra, informem formam Mortis sub aspectum adducat. Rei nota dignæ, sententiam dignam observatione accumulatur. Mors omnia æquat. Comicus apud Græcos minus verecundè, ad secessum mittebat, qui de se ipsi sentirent arrogantius. Et hæc risum movent in theatro, inconditæ multitudini: qui qua movetur levitate, eadem subfidit. Mortis recordatio non risum concitat, sed, qui salubrior est, animo horrorem incutit: aut non vagam & vanam consolationem affert. Nam pijs spes est melioris vitæ: non extremè perditis, vitæ causa in melius mutandæ. Quid enim super ceteros efferam caput, si dies appropinquat, instat, adest, quæ summos imis æquet? aut non feram, quæ conditionis humanæ sunt, si mors ut finis hujus vitæ, est ita principium æternæ? Ita pro Symbolo & Hieroglypto, quod vulgatum & vulgare est quidem, sed non eâ vile aut contentum, paucis dictum sit.

H ij

II. HIE-

*Daniel Barbarus Patriarcha
Aquilensis.*

*Jacobus Gallus Patriar. Hierosolymit.
Qui fuit Urbanus Papa. iiii.*



*Angelus Corarius Patriarcha Cons
tantinopolitanus qui fuit Gregorius Papa. xii.*

*Fr. Petrus Philareti Patriarcha
Gradensis qui fuit Alexander Papa. v.*



II. HIEROGRAPHIA.

Holocausta celitus flammam concepisse, ita certum est, ut flamma divinos sortita honores sit, apud, non Barbaros tantum Persas & alios; verum etiam his multo juniores Romanos, & Argivos. Ignem omnes perpetuum sive τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, ut Pollus in Prytaneo Atheniensium vocat, alebant & colebant. Nec enim in aliud Vestam, ut inquit Ovidius, quam Vivam intellige flaminam. Hanc extinguere, religio erat: quæ incuriam custodis capite damnaret alicubi. Non probo à Deo, qui victimas celesti igne tetigerat, ablatum: aut huc translatum honorem; sed tactum de celo sacrificium ostendo, indelebili memoria. Nam & hic focus videtur esse celitus, aut accensus, aut restitutus. Bene est. Hieroglyphon ex fumo erutum est. Adaptemus symbolum: volentes. In voce nulla difficultas. volentes enim divinitus coruscant. Quod in tenebris versamur, in caligine hæremus, in vitijs denique, quæ animæ tenebræ sunt, volutamur, suis in morem, in volutabro; nostræ socordie, amentie, malignitatis est. Cum nusquam, nunquam desit fax Animæ, Lumen Dei. Ergo si volumus non solum felices in hac vita; verum etiam in perenni, terque quaterque beati esse possumus. Nostra culpa, nostra miseria est. obvio semper Deo, si volumus poenitere. Nam ut stella semper micat, etiamsi visum media intercipient; ita Dei gratia semper lucet. etiamsi peccata, lucem non adimittant. Ruscillus trahit longius: & lucernæ instar adhuc fumantis, & à lucerna ardenti recipientis facile ignem fumi: Hominem statuit mortuum reviviscere, & quidem in vitam beatam, nam illud omnibus commune est, in Christo, cui vita nostra tanti constitit, si velle, quod fumi instar, supera petit, non extinguatur. Probo sententiam, conformem pietati divinæ.

III. HIEROGRAPHIA.

Quid in hoc spineto? quid palpitat? quid variè movetur? Cor humanum, ô Homo. An sensus extra corpus, sedem sensus? Ne mihi sophistice age, ubi sophos opus. Qui motus est cordis, in corpore humano; hic corpore, velut transfenna submota, exhibetur, extra illas latebras, sub die. voluptas & dolor, ex cognitionis sede, in sedem affectus, per meatus occultos, aut per catalepsin, veluti per infundibulum, dimanant. Has duas cordis perturbationes, duplicant tempora. Nam præteriti temporis recordatio, si justè transactum, reficit animum: si petulantè & injustè, conficit, utraq; hæc cordis affectio conscientia dicitur; Sed hæc est carnificina; illa jucundissima recordatio. Iterum suspensus animus, ad futurum tempus; totidem motibus quatit animum. Subsilit igitur specor, & villos expandit: Metu contabescit, & villos, tanquam rugas contrahit. Iam nulli dubium est, præsentiam mali aut boni, variè cor afficere: & motus, ut ventis incumbentibus, stridentibusque increbescere. Non enim præterijt aut appropinquat, sed adest alterutrum. Exposui, quod Mystra in luce posuit, cordis motus. Cum autem omnia humana, sint quodam modo momentanea, si cum tempore æterno & infinito, comparentur; mens futuri & æterni, non temporis provida, sæpe angitur, &

tur, & torquetur metu pœnæ, quam hîc potest effugere eòq; magis, quod hîc possit effugere: sæpe recreatur, quod hîc interdum negatur, & quia negatur præmij cujusdam spe sempiterni. Audiamus Mystam: Recordare novissima. Atq; adjungamus, quæ sapiens vir supplevit. Et in æternum non peccabis. Animadvertis, ut proximè ad Mystæ sententiam accessimus. Quæ illa novissima, quæret aliquis. Mors certa: Iudex justus: Summum Bonum: & summum Malum. Hæc illa novissima, hi fines peccandi, hæc retinacula libidinis tætræ ac dissolutæ. Quid agimus? moriendum est semel. hoc scimus, quandò nescimus. & quamvis longissima sit, ut non est humana; certa, longava dici non potest, cujus aliquod est extremum. De Iudice dubitas. Nam Lucianus idiotas appellat, qui ullos putant Manes esse, aut regna subterranea. Et sacræ literaturæ auctoritatem, impietas non admittit. Sed tu, qui nulli habes fidem, consule mentem tuam: tibi enim ipse non potes diffidere. Quid? ecquid ruminas? quid moveris? Aut enim speras, aut horres. Ea est Synteresis, ea vis conscientiæ. Quid? quem metuis? si vel lates iudices, vel superior es mundanis legibus? sine ulla contraversia, dominum & iudicem omnium, Deum. Nihil fingo, sed, quæ Poëtæ non finxerunt, argumenta veluti faces, ad caliginem impiæ mentis adhibeo. Ita certos Iudicij & Iudicis, sequetur aut pœna, aut premium necessariò. Quæ certò qui seriò agitât mente, & secum severiùs perpendit; non potest non inhörrescere & pavere metu, quod acre profectò telum est, adversus licentiam peccandi.

IV. HIEROGRAPHIA.

Quis has conjungit? Virginem formosam cum deformi Morte? Aliquid enim vult Mysta. Et virginem licet flore ætatis & forma sexus insignem, Mors sæpe rapit, etiam si alteri sit desponsa. Mihi videtur dignus, qui nunquam moriatur, Mysta, comparasse inter se, impar hoc par, ut Mors comparata, cum tanta venustate, magis dicam? obtenebretur, aut resplendeat. Certè, ut optimi cujusque pessima est corruptio; ita cadavere humano nihil tætrius, nihil sceleto informius. Si tam deformes Mortui; quantò tætrior, abominabilior, horribilior ipsa Mors est, tutè considera. Nec enim aut Poëtæ rectè describunt, aut Piëtore, scitè depingunt. Et qui possent, personam non humanam? opere aut opera humana. Effectum monstrant, non causam. quæ si opposita conditioni est, quæ tam pulchra, jam magis animo, quam palpebris liquet, quam sit horrenda. Hæc tamen est ultima (horresco referens) ut Mysta ex Lyrico, rerum linea. Quod si finis modò miseriarum esset, quæ sunt in hac vita, vel solæ, vel potiores, tolerabilis quidem. Licet dulce sit Animæ & corporis commercium. ita, ut hæc suavitas, illam asperitatem leniat, & quasi molliat. Nunc initium sæpe existit, perennium ærumnarum: & non vitæ, sed mortis immortalis. Sed absit omen & nomen Mortis.

V. HIEROGRAPHIA.

Rex hic pro tribunali sedens, magnam præ se fert severitatem. ne quid
gravius

gravius dicam. Nam nec jus nec fas est Principibus maledicere; facere cum possint malè, & leviter dicta graviter punire. Hoc dicere ausim, quod quia pro tribunali sedet, induerit personam judicis. Fuit quidem usurpatum priscis Regibus, jus dicere & non injuria: sunt enim, justiciæ causa instituti. Visum posteris est, judices & recuperatores dare. ne se onerarent negotijs privatorum, qui summa Reip. gravantur: & ut se explicarent invidia, querelisque multitudinis. Ita ad ipsos, sic enim jussurunt, tanquam ad Deos in terris provocatur. Inter priscos Reges, regnavit in Creta Minos, justus tenax qua justiciæ fama regiam judicandi, ea est sine provocatione, potestatem apud Inferos, ut in fabulis est, obtinuit. Et si Minoa Vlysses apud Homerum, probè delineat; hic ipse est quem sculptor nobis repræsentat. Ita dignè personam incorrupti judicis expressit. Accedunt pullæ restes, severitas vultus & titulus deniq; inexorabilis. Apage mihi cum isto sive Rege, sive Iudice. Primùm enim nec amictus, nec locus placent. Deindè clementia est quæ eximit è grege mortalium Reges, & reddit immortales. Est ita. sed ut actionis terminus est mors; ita secundum mortem aut irroganda æterna mulcta est, aut præmia conferenda sempiterna. Hoc ex ratione; collegere quondam, viri ratione præditi, id est viri verè viri: & sub persona Hominis, exhibent vindictam Dei. Mystra verò noster, ad confirmationem veri Iudicis & Regis vivorum ac mortuorum, Poëtarum sententiam, omnium sententijs comprobata adhibet: & judicij, in quo nec gratiæ erit, nec deprecationi locus, terrorem incutit præfractis; ut mites animos consolatur, quia hinc destituuntur, spe remunerationis.

VI. HIEROGRAPHIA.

Hic magna rerum omnium felicitas, copia, ubertas. festa & læta omnia. saliens Crystallinus fons, manantes lacte rivi, exundantes nectare fluvij, frondes ambrosia stillantes. Nox nulla, dies perennis. Sol nunquam occidens: mali nihil oriens. Omnia alacritatis plena. Nullum doloris signum. Breviter multa dicam, Aut Dijs sacer, aut Deorum immortalium locus est. Neminem videmus quidem. Sed si magnificam domum, tectò sublimen, fabrica cetera insignem, ingrederemur. licet nec patrem familias, nec familiam videremus; crederemus tamen eam, nec araneis nec gliribus ædificatam, & eo ordine ac dignitate substructam; ita nec aviculis licet canoris, nec feris licet cicuribus, quas videmus & audimus, locus hic stratus gramine, conspersus floribus, constitus arboribus, redundans frugibus est. Et non videmus loci incolas, non quod nulli sint; sed quod mortales non videmus immortales. Lucianus quidem hoc loco, id est, in campis Elysijs, homines collocat, non homines, id est, sub forma hominis, umbras hominum. quales vult Deos Epicurus, qui quidem corpus non habeant, sed quasi corpus non carnem sed quasi carnem: non ossa, sed quasi ossa. & quasi ea omnia, quæ nos corpore induunt. Hæc si sub tactum non cadunt, quomodo sub visum? si color est terminus figuræ? Offerunt se Genij, sed in corpore, aut specie corporis. Inter se ipsi nec corpore, nec specie indigent: imò ut mens nostra nihil synceri agit, nisi à corporis commercio in

cio in saginam modò proni sese secernat, & quasi à contagio se subducatur; ita puræ illæ animæ, hoc sunt intelligentiores, quo liberiores. Tempus erit, quo & mortalitatem exuet corpus; sed illud tempus nondum advenit. Contenti igitur sumus, spectaculo sedis & beatitatis Animarum etiam si sedentes Animas beatas non videmus. quanquam Sciographia hæc sit aut Paradisij aut Elysijs; non vera topographia aut horti felicitatis, aut campi soluti curis. Certa quidem est & distincta colonia piorum ab impijs. ut mens sua cuiq; subijcit, & testatur. Quin & Plato (dictu mirabile) expiari posse & crimina quædam non capitalia, pænis temporarijs, à fato, vidit. Sed nihil sub oculos cadit, quod oculos non ferit. Quemadmodum igitur Homerus, & hunc secutus Virgilius, locos istos distinguunt; ita pictores describunt & dividunt, proponunt, inquam, ea pijs, quæ homini maximè sunt in optatis: quæ animus maximè adversatur impijs. Tu verò non animomerso in corpus grata, aut terribilia propone; sed animo à fœce corporis libero. si potes paululum respirare, & vis emergere ex hoc cœno. Sic sic quietem Animæ; quæ Pytagore iudicio, erat summum Animæ bonum, purius contemplabere. Videbis enim & perspicuè quidem videbis, non in horto quantumvis culto & fœcundo Animam acquiescere; multò minus in campo licet patenti & ubere. Nec enim vulgari vult, quæ vult quiescere: nec septis cogi, cujus cupiditas infinita. ubi ergò acquiescet? quæret aliquis anhelans. Tu te consule. Boni appetens es. Nullus enim malum appetit: & si quis appetit, specie deceptus, aut animo depravatus, quemadmodum oculo & palato evenit, bonum ducit & petit. Et es appetens non exigui, at infiniti boni. Nam insatiabilis est, mens hominis, ejus, quod semel concupivit. Vide libidine inflammatos, avaricia occupatos, ambitione concitatos: & velut in speculis, Mentem infiniti, quod jam bonum quisque horum ducit, nec enim solus Paris, concupitam formam & regno & gloriæ anteponit) esse appetentem. Tàm in avaro deest, quod habet, quàm quod non habet: & Alexander nugantem illum de Mundis infinitis, cupidè atq; attentè audit. Faciamus potiri voto Parides, Midas, Alexandros. quod fieri non potest: quod ut aqua, quò plus pota, eò plus excitat ad potandum; ita nunquam satiat, quod immodicè appetitur. Sed faciamus potiri posse. quod non magis fieri potest, quam expleri, ardentis in febre, sitis; Infinitum non est, an bonum non quæro, quod ut cupidè acquirimus, ita amittere possumus inviti. Ad te revertor. Si appetens boni es, & quidem infiniti, ut jam videris vidisse in alijs. ne tui te respectus occæcarent; in Bono infinito acquiesces. Hoc autem Bonum si in terris non est; querendum est sede digniori & securiori, in celo. Bona quidem multa sunt in celo. Si enim tot gradibus distincta in terris; quot in celi regia, ubi tot domicilia, specie diversa? Multi boni, aut omnes veriùs: huc enim nihil mali admittitur? sed ut singuli boni & singula sunt bonasita unum est summum, Infinitum Bonum, Deus; à quo omnes boni sunt, quod sunt: & boni habent, quidquid habent. Ut enim flumina derivantur à Mari, & in mare relabuntur: & quasi fessa se exonerantur; ita ad Deum revertamur necesse est: si fessi Mundi ærumnis, quietem capere tandem volumus. Nam aliud Bonum summum & infinitum, non reperitur, ut apparet.

VII. HIEROGRAPHIA.


Novissimus hic inter Patriarchas est, anonymos, ut superiores quidam. Numisma enim non habemus, sed ex membrana descripsit sculptor, orbem veluti studio, à blattis arrosa. Ita omnia sunt infesta claris viris. Et dum me colligo, ac proximos subduco, video pios homines quatuor novissima, quæ appellantur, quemque sua Hierographia, unum, ordine esse complexos. eo consilio, ut perpetuò in oculis essent, manibus tererentur &, quod maximè è re nostra fuerit, obversarentur animo. Quatuor enim hi fines, aut terrebunt à flagitijs, aut nihil animum adversus salutem obstinatum, intra honesti cancellos reducet, ac continebunt. Summo Bono nihil opponitur: est enim antè oppositionem. At summæ animæ felicitati, opponi summam infelicitatem, rationi consentaneum est. Nam ut summa & absoluta beatitudo, est, frui Deo; ita carere, est extrema & summa miseriarum. Et ut sedes quædam est Beatorum; ita & Damnatorum. Iam si beati sunt apud superos; necessariò sequitur damnatos esse apud inferos. His Poëtæ Plutonem, id est, Ditem præferunt. Infandum etiam carcerem descripserunt. & Cerbero tricipite ad fores religato, tribus fluvijs circummunierunt. portitore qui animas ter miseras transportaret, constituto. Sculptor æmulatus est quidem hæc; sed veritus. Mystra, ne satis scitè, ut mensores, hospitem; nomen Ditis inscripsit, verbis Virgilij qui locum umbrarum, dicendo illustravit. Nos *ἐκ δνομασόν* locum prætereamus silentio. cujus horror, ex celi comparatione, satis ingravescit. & Deum deprecemur poenam. cujus Filius, nostra peccata luit in cruce. Miserere, miserere nostri Deus. Nihil enim superest præter vota nostra & clementiam tuam.

ss

Principes Electores S. Rom. Imperij.


Albertus Presb: Card: S. Chrysogoni Mogunt: et Magd: Archiep: S. R. Imperij. Elector

Daniel Archiep: Moguntinus. S. Rom. Imp Elector Archiep: p Germani.



Salentinus Archiep: Colomen: S. Ro: Imperij Elector. et p Italia Archiep:

Ernestus Archiep: Colon S R Imp Elec: et p Itat: Archiep: Dux utriq:q: Bavariz



Iacobus Archiepiscopus Treuirci. S. R. Imp: Elector. et p Gallia et reg: Arel: Archiep:

Archiep: Treuirc: S. R. Imp: Elec: et per Gallia et Regni Arelat: Archiep:



85.

I. HIEROGRAPHIA. SEPTEMVIRORVM S. ROM. IMPERII.

Magna vis superstitionis est, ubi semel animos hominum occupaverit. Qui Deo debetur, honos ad lapidem limitaneum transfertur, ingenti, non impietate solum, verum etiam imprudentia. Colendus est Deus propter se. Ea est Majestas summi Boni. etiamsi posset esse; ut esset nullius causa boni, quod esse non potest. Sed & Deo obligamur, gratitudine, ac gratiarum actione, ita de nobis merito. Nihil enim habemus boni, quod non debeamus Deo. Cogimur etiam ad vota & supplicia. Ea est conditionis humanæ miseria, & indigentia. Quid saxo debemus? aut à saxo præstolamur? Terminus, hic enim lapis præmanibus est, dividit agrorum confinia & simul controversiam de finibus. Ingens profectò beneficium. Sed justiciæ, non saxi. Mystra pietate insignis, ad Mortem transtulit, ut ex inscriptione manifestum est: Mors ultima linea rerum. Nam non ea est nostræ ætatis, quæ priscae superstitione, colentis mortem. cum vix Deum ipsum colat. Longè quidem alia erit imago Mortis apud Eleos. Sed Termini statua vim mortis, quam Iovis sui potestate, superiorem statuit Homerus, non malè refert. cum dicto superbo: Nulli cedo. Et Mystra haud dubiè, ita loquentem sub aliena statua Mortem facit; ut terminaret, horum cupiditates, illorum querelas. Nam si mors est terminus humanæ aut mundanæ verius tam felicitatis, quàm infelicitatis; non est, quod lasciviant, indignæ fortunati aut malè infortunati. Extat eius argumenti Epigramma Agathiæ. Nec brevi aut jocosa, sed lepida & longa oratione, seriatim Alcidas Mortem laudavit. quanquam quod per se laudes Mortem, nihil video: est enim destructio Naturæ. Quod nulli cedat, nec hoc planè verum est. cedit enim de magna possessionis parte, Filio Dei. Et in corpus quam retinet, tenet, & quasi beneficiario jure obtinet, voluntate Dei. Quod nulli cedat, Erasmus, patrum ætate renovavit. Nam cum & ipse Terminus sumisset. cum eodem Symbolo: ac multorum incurreret repræhensionem: quod videri vellet, nulli litteratorum cedere, ut mole terminus, virtute sua & eruditione fixus; ipse, ut versatili erat ingenio, à se detorsit ad mortem, verbi arrogantiam. Quidquid est tandem Mors, aut quocunq; animo purgationem Erasmi accipias; negari non potest, morte finiri, omnem cupiditatem, omnem potentiam, omnē deniq; cogitationem humanam. Quid agimus Mortales? tam certi mortis? quàm incerti horæ Mortis?

II. HIEROGRAPHIA.

Sol, ut vides, occidit: Piscatores verriculum colligunt. & audis: Pudet nos perdidisse diem. Si piget, damni est, & pudet, dedecoris, ut vult Donatus; pigere dicendū videtur. Nec enim est me ejus pudeat, cujus culpa, est fortunæ: detrimentum meum. Si piscare est artis, & retia non temerè jactantur, sed callide tenduntur, ut feris plagæ; ad jactum infaustum, & dedecus accedit. Sic non modò piget infaustos piscatores, sed, & pudet irriti jactus, imperitos. Iam videtur Mystra, non piscari pisces: deserunt enim id nostri Antistites. nec venari feras. quanquam id principibus viris fami-

ris familiarius sit; sed insinuare sese in benevolentiam civium, & captare optimi cujusq; gratiam: hoc enim Principem decet, & Principatum firmat. Duo sunt, os unum: Pudeat nos perdidisse diem. Is scilicet consensus Principis rerū sit, & Principis familiarū, oportet. Et ejusmodi fuit Achillis aut Patrocli: Aeneæ ac Achatis. si tamen fuit. Rara n. vix unquā perpetua ulli cum Principe suo, amicitia. unius Nicolai memini apud Egessipum, qui numquā in Herodis, Iudeorū Regis offensam incidit: & Regis mortui famæ voluit consultū. Ex gratia Augusti excidit Agrippa, & Mytylenem involuntariū abiit exilium. prægravis fortè, propter gloriā militarem. Quid omnium horarū homo, & assecla fortunæ Imperatoris non dux commeruit? ut in urbe peteret & impetraret se cessum? Hic duo sunt & quid miserius. Principe? cui ne unus quidem est, ex omnibus quo cum securè vivat, aut sincere loquatur. Pudet, ajunt. cur non? piget. Quod animos generosos, fatiget magis dedecus, quàm detrimentum. Et me hercle, nihil re levius, necessario peritura: nihil fama gravius, nunquam moritura, Quanquam igitur cum probro conjunctum sit damnum; illud tamen præponderat. ut non absque causa dicant: Pudet, taceant: Piget. verū enim vero, si nec de feris, nec de piscibus, sollicitum esse Mystam, credibile sit; quid quæritur? aut quid dies totos quærebat? Amicos, o amice. Nam Princeps nullus est, si est princeps animo, non fortuna solūm, cui non sit satis ad benè beateq; vivendum. Nulli Principum rursus, etiamsi rebus omnibus, quæ animo collubita, abundet, cui satis sit, vel possit esse amicorum. In hanc autem sententiam venio, quod T. Vespasianus domum quodam die revertens, quo nullum sibi, beneficentia comparasset, dixisse fertur: Amici, diem perdidimus. Nam similes sunt bonorum boni; ut vitia plerunq; sunt ceterorum eadem.

III. HIEROGRAPHIA.

Εἰμῶ & *κνιδῶ* ejusdem ferè significationis sunt. *παρασθόμιον* Hesychius interpretatur, quo ora canum aut ferarum refrenantur ne mordeant. Hæc mecum ruminans, quæro, quī appellare liceat, tegumen coriaceum, quo falconum oculi, ne antè tempus, è manu aucupis evolent, spectata præda, obducuntur. Ac quod Hesychius *περισθόμιον* appellat frenum oris, quod Græcis stoma est, *περοφθάλμιον* videtur appellari posse, quod oculos regit. Ophthalmus enim oculus est Græcis quorum libertate & felicitate in fingendis vocabulis, non est nobis interdictum. Res enim nova est, & Germani Imperatoris inventio. Quare si novæ formatione litterarum. Typographia, nomen Græcum impositum est; nihil vetat uti eadem licentia. Nam mihi non constat, sive quis fortè anteverterit, & superaverit nomenclatura, In re minima occupatus sum. at sine qua intelligi non possum. Vides enim Falconem extra aucupis conspectum, pendente, de cervice perophthalmio. & sub persona volucris audis loquentem non volucrem: Recepto visu libertatem arripio. Sunt ne igitur cæci, qui serviunt? De his, quos ad servitium adigit necessitas, non quæritur. De his, qui mercede serviunt, lege Lucianum. Cæterum & Accipitres, inter hos Falco est, Thracibus mercede serviunt, & in aucupio quasi partæ, partem prædæ accipiunt. si Plinio credere fas est.

IV. HIE-

IV. HIEROGRAPHIA.

Totum universum, exiguo orbe sculptor inclusit. Adjecit geminos oculos sede distinctos. Hunc celesti & sublimi: alterum nostra. Sculptor scalprum suum commodavit Mystæ. Quid Mysta vult intelligi? quæ hæc voluit pingi? unica enim vox, Omnia, non satis omnia exponit. Omnia inter geminos Oculos, notant, omnia oculis posita. Eccujus? Dei, dubio procul, qui omnia regit, & condidit: nec minus potentia in terris, quam gloria in celis versatur. Si oculis Dei omnia exposita sunt: nec cordis arcana fugiunt eum, qui corda finxit; ne desperemus, adversis in rebus: aut insolescamus secundis, veneremur potius & vereamur Deum: quem præsentem scimus: & vindicem timemus.

V. HIEROGRAPHIA.

Vitem sexennio nubilem reddi, & maritari scribit Plinius. Vtmo cupidissimè. Proximam amori. Populum esse nigram, Non spernitur ficus, fraxinus, olea. si non sit umbrosa ramis. Recenset plures, veluti dotata virginis procos. De vite arbustiva loquor. Nam & vidua est, & Vetula, jam humi depressa. & compluviata, & pergulana, & jugata Columella, quæ pedamentis transversa, & cauterijs jugatur. Loquor autem de arbustiva. Nam ea in conspectu est. si tamen arbor est, quam amplectitur: ac non pertica, quæ jam pedata ac statuminata dicitur. Et de arborum varietate loquor, ne quis me percunctetur, de marito hujus vitis. Quasi id Principes curent scilicet. & non plebs magis ac nunquam ociosi vinitores. Curarunt hercle principes viri, Cato & Seneca, imò & Bacchus, Deus habitus. curant principes, sententiam principis & Archiepiscopi Trevirensis: semper fertilis. Non enim videtur de vite hoc dictum velle: quæ hyeme, tam aret, quam verè germinat, gemmat, non ausim dicere: æstate frondet: autumno fructificat. Quid si vellet. Sunt enim vites triferæ, quas vocatas ob id insanas, Plinius tradit, quoniam in ijs, alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. Sed intelligit Ecclesiæ & Reipb. concordiam, quæ sterilescit nunquam.

VI. HIEROGRAPHIA.

Taurus, licet in Venerem, natura proni, naturæ tantum servit: & concepta spe sobolis, non contactu modo, verum etiam convictu vaccæ abstinet sese. Par est in victu parsimonia. Ita ruminat, antequam deglutiat. cumq; parabilem, & sparsum passim cibum. Hæc partim videmus, partim legimus apud Aristotelem. Igitur si Taurum imitemur; sequeretur nos uberius annona. Magnum enim vestigal parsimonia est: aut ut Mysta loquitur, ex frugalitate ubertas. Sed videtur Mysta præter frugalitatem intelligere, & statuere ubertatis auctorem inprimis Deum. Nam coronare victimas, receptum olim erat. Taurus autem collum coronatus est corona collari. quæ Plutarcho dicitur, *υποθυμια* quod *θυμια*, id est collum circumdaret, ut Adr. Iunius observat. Et rectè quidem statuit Deum: qui agros felicitat, & labores manu nostrarum beat.

Principes Electores S.R. Imperij.

Friedericus S. Rom. Imperij Elector
Comes Palatinus Rheni. Bauarię Dux

Mauritius Dux Saxonie S. R. Imperij
Electoꝝ & Archimar. Land. Thurin. etc



Augustus Dux Saxonie S. Rom. Imp. Electoꝝ & Archimar.
Landgr. Thuringie Marchio Misnie Burg. Magr.



Anna Ducissa Saxonie Augusti Electoꝝ
uxor. Christiani Regis Danie filia.

Christianus Dux Saxonie S. R. Imp.
Elec. & Archim. Landgr. Thur. Mar. Mis.



VII. HIEROGRAPHIA.

En tibi libram de celo pensilem. Non est opus demonstratione. In oculis sunt jugum, ansa, examen, Lanx. Opus magis est dictione, cur de celo supra globum terræ, pendeat. Sed & hoc Mystra labore nos levat, cum dicit. Qui judicatis terram; diligite justiciam. Admonitio enim Dei est, non Hominis, Et cum ratione congruit. Si enim justiciæ gratia, regnant Reges: & regia potestate, etiamsi regio nomine abstineant, regunt orbem terrarum, Principes & Populi; diligant, par est, justiciam. imò Deum verentur, qui nihil injusti finit, &, ut unicuique suum tribuant & conferuent, sibi in rerum gubernatione substituit.

VIII. HIEROGRAPHIA.

Balæna est, ut ipse cernis, si de facie nosti: ora enim in fronte collocat Plinius, & hæc sunt, quibus super natantes aqua, nimbos efflat. Sed quid dolia? pilæ, bacilli? Hæc belluæ obijciunt Nautæ. Tantilla, tantæ? Sic ferunt. & dum in hac vires vanè exercet. Nautæ velis & remis effugiunt discrimen. Vnde hæc nota Mauritio, homini Mediterraneo? Fando, vel utendo. non mari, sed terra magis turbata quàm ullum mare. Quid ergò sentit, dum hæc pingit. Potentioribus illudendum, non aperto Marte congregiendum esse. Hinc est, quod adjiciat: His artibus. quas artes fallendi, si ipse calluit; Historia ejus temporis, quid ego te & me fatigem? satis testatur.

IX. HIEROGRAPHIA.

Decussi forma Principes Saxonix geminant Enses. Hoc insigne gentilicium, Augustus dux Saxonix, geminis ramis Lauri includit, nisi qua parte fastigium tenet, septemvirale tegmen. Et ne dubitemus, quid velit, Symbolum adjicit: Tandem bona causa triumphat. Fratri profecto, cui erat invisus, supervixit, successit, & posteros reliquit.

X. HIEROGRAPHIA.

Quid novi video? ex aqua Navis, quæ jam ad terram appulit, nequidquam oppugnatur. Illa enim in vado est, Hi furore suo pereant, ni assistant cepto, est necesse. Sed quo gubernatore, res suas in tuto collocavit? Christo cujus imaginem, ut cruci peccata nostra suffixit, in velo vides. A Ioannis Friderici, qui cum Landtgravio Hessiæ, bellum gessit contra Imp. Carolum Quintum, oppugnatus est, profapia. De hac, victoriam uti debuit, refert acceptam DEO. Est enim etiam nunc grato populo, illius memoria.

XI. HIEROGRAPHIA.

Anna Regis Daniæ Filia, Augusto Duci Saxonix nupta, non minus cara viro fuit; quàm Livia Augusto Cæsari. hoc etiam felicior, quod beavit Maritum prole. Hòc tamen cum Livia Drusilla comparo, quod

90.

Matris nomen à subjectis accepit. Hoc enim & Liviae oblatum est à Romanis. qua in re major dux Augustus, longe melior & temperator fuit, quam Tiberius Liviae filius. Passus enim est uxori nomen deferri, quod matri filius Tiberius invidit. Et fuit in Anna quod retineret ducem in mutua benevolentia: ac conciliaret Saxoniae. regium quid, quod melius capi animo, quam calamo exprimi potest. Atque hoc illud est, quod voce unum, re varium, interna Hierographus appellat: & praestantiora, pulchritudine, genere, divitijs statuit: ac sub pavone omnia exponit. Sunt enim animi bona proprie nostra: nec ætate deflorescunt, aut tempore emittuntur. & ut caudam Pavonis, Sol illustrat, ita bona corporis & fortunæ, meliora faciunt; ac reddunt seipsis clariora. Quid enim forma cum probro? genus cum decore? divitiæ cum Luxu? potestas cum impotentia animi? Annæ vivax memoria est, & memoriæ a tot litteratis viris prodita.

XII. HIEROGRAPHIA.

Christianus Dux Saxoniae, coæcervatam, magno studio à parentibus pecuniam, brevi tempore, omnem dissipavit. magno potius, quam prodigo animo. Hic Leoni ut apparet, exerenti linguam, insignia familiae, atque dominatus in unguis dat, & ait: Fide sed vide, supple, cui Symbolum sagax: Hieroglypton prudens. Nam virorum fortium & fidelium custodia requiritur (& hic eos representat Leo) ad tuendum, quem multi appetunt, Principatum. Sed nemo sibi sapit. ut mirum non sit, Principem antè senectutem, melius consilium alijs dedisse, quam sumisse sibi. si modò vera sunt, quæ vulgò ferunt. scio enim nulla re alia Magistratum, quam odio laborare. quod si metus aliquamdiu compressit, eo liberati, id homines, omne expectant.



XIII. HIE.

Electores S Romani Imperij

*Joachimus Marchio Brandeburgy.
Sacri Romani Imperij Elector.*

*Joannes Georgius Marchio Brandeb.
Sacri Romani Imperij Elector.*



Duces et Archiduces Austriae

*Leopoldus Probus. Dux Austriae
Comes Habsburgi. etc*

*Ernestus Ferreus. Archidux Austriae
Dux Styriae. Carintiae. Carniole.*



*Albertus Sapiens Archidux Austriae
Dux Styriae. Carnith. Carinole.*

*Sigismundus Archidux Austriae Dux
Styriae. Carinthiae. Carniole. etc.*



XIII. HIEROGRAPHIA.

Tritum jam est, sermone hominum, proverbium, quod olim sapienter ab aliquo dictum, tributum est Deo : & inscriptum valvis templi Delphici. nullo septem sapientium Græciæ, id auso sibi vindicare. Sic sæpe latet, sub sordido & pannoso homine, insigni sapientia. Teri autem cepit, ex quo, propositum, non modò palam est; verum & expositum, à Socrate Platónico : M. Cicerone : Plutarcho, & postremùm, Erasmo. Quidnam ? Symbolum : Nosce te ipse. Socrates non potiorem Hominis partem, censet esse Mentem, aut propiùs Animam, cujus illa oculus est; sed Hominem ipsum veriùs : corpus, modò instrumentum, modò vehiculum. Ita qui animum suum noscet; iudicio Socratis, noscet se ipse. Hoc autem difficile est. quod, ut, oculi est species rerum cernere & discernere; ita & Mentis cum omnia, tum se ipsam speculari. Atque hoc, quàm cetera difficilius esse, patet. Nam speculum, dexteritas Hominis invenit : & antè inventionem speculi, corpora suppeditat Natura, quæ visum recipiunt, & reddunt. *ἰσὶν ὁμοίω* ejusmodi corpora appellant. Speculum Animi, nec natura exhibet. in qua nec sapere, nec reminisci est : nec Homo, licet in omnia sese verferet, fabricat. Socrates, quem natum, non in tenebris, sed luce pietatis veræ, dixeris, spectrum Animæ, Deum statuit. Concedamus id Socrati, ex quo Moses, Hominem factum scribat ad similitudinem Dei. Non enim de corpore, sed anima scribit. magne Deus. Speculabor nè me in te ? qua fronte ? quibus oculis ? qua audacia ? Miserere mei, mi Deus, miserere nostri ; toties, quoties dico, non obstipo capite, in te intueor ; sed oculos in terram reflecto. Videor que te videre acutiùs, cum videre nolo ; quàm, cum elato animo videre volo. Aut ita mihi persuadeo ; aut ita grata est modestia Deo. Certe nihil magis ad cognitionem sui facit. percurrere omnes, qui rem tractant ; quam despectus sui, & respectus Dei. Arrogantia autem hanc comparationem tollit : & ut in celis omnia turbavit. unde Gigantomachiam exoticæ litteræ etiam celebrant ; licet fabulosè, ut necesse est, ubi à veritatis fonte discesseris) ita in terris omnia pessumdat, & impiis stolidè aliquid sibi arrogantem.

XIV. HIEROGRAPHIA.

Caduceum est, quod & alibi fuit. ne non necessaria repetamus. Cupidem tegit galerus Mercurij, cujus & virga est, à P. Virgilio, graphice depicta. Saurotera verò alæ de talaribus Mercurij detractæ. Sic appellatur cuspis adversa, sive obversa mucroni hastæ. Hæc de Hieroglypto. Symbolum autem est, utriusque auxilio. Quid autem hoc sit : & quæ duo sint, quorum auxilio nititur Marchio ; paullò obscurius est. Ab Hieroglypto sumamus auxilium Symbolo. Serpentes minas spirant : & in osculum coeunt, ut ponunt iras ; ita finem minarum & irarum promittunt. Si antequam exscandescant, tum enim vix sanari possunt ; Mercurij celeritatem, & eloquentiam adhibeas : responsio enim mollis frangit iram. ut ait ille, & verè ait : quemadmodum accendit contumax. unde caventis Pythagoræ, illud, est : Ignem gladio ne fodito.

I. HIE-

93.

I. HIEROGRAPHIA. DVCVM, ET
ARCHIDVCVM AVSTRIAE.

VIRTUTI nil inuium. Magnus animus, magno viro, sententiam veram & tanto dignam Principe, exprimit, Horatianæ conformem: In via virtuti, nulla est via. Hieroglypton, Symboli veritatem confirmat. Annibalis enim manus, aut miles est, qui per inuias Alpes viam invenit, per fractis, disiectisque aceto & igne saxi, quæ natura aduenis veluti de industria objecerat. Ne narrem uberiùs rem dignam memoria, in causa est, Historia T. Livij, digna lectione. Nec opus erat exemplo. Fit enim ut virtus aut ferat, aut domet omnia. Ita semper inuicta, semper victrix. Quod autem non semper fortunata, hoc fit æmulantium invidentia, aut conditione rerum humanarum instabili.

II. HIEROGRAPHIA.

Auspicabor iterum à Symbolo: Telum virtus facit. ita mihi placet, ut factum fortiter; ita, dictum Principis, sapienter. Nam principe futili, nihil est ineptius. Contrà, quid majus aut admirabilius, Principe in factis. claro? in verbis stupendo? De veritate nihil est dubij. Nam si arma desint, vir fortis, mordicus sese defendet, imò Alcibiades nondum vir. Cùm enim ab æquali humi stratus jaceret, expedit dentes. & in ctepanti, canum hoc esse, argutè respondit: imò Leonum. Princeps, hîc, ut irritatæ virtuti, ipse furor, & justa iracundia ministrat arma, corripit flagellum. Sic scilicet appellat Iunius palum, cum minori bacillo, pensili & mobili. quo jam teruntur fruges, abolito tribulo, quod vehiculi genus erat, ad id, comparatum. Et passim in re subita, quæ fors offert, armant se passim, saxi, sudibus, & id genus armis non armis. Qui igitur in mentem Principis introspicit altius; is transibit; in ejusdem sententiam facilè, uno exemplo conantis ostendere: Nunquam viro forti arma defutura, adsit modò animus, ad tuendam dignitatem, & vindicandam injuriam.

III. HIEROGRAPHIA.

Quid monstri hîc mihi in acie sistit? Femore tenus, truncus stat, non vir. Hic tamen, Princeps aijt, virum agit. Quam velim semiviros esse omnes hostes Majestatis Austriæ? Deus benè vertat omen. At Albertus, cognomento sapiens, in re seria non ludit. Nam vel mole reliqua, miles resistit hosti. vel integro femore propagat sobolem, etiamsi reliquis membris esset captus. Iam quotus quisq; militum pugnat? Magna pars, numerus est. Caput in duce exercitus requiritur: pedes in ductoribus ordinum: manus in milite. ut dux ordinet aciem: ductores ducant ad hostem: milites pedem & manus conferant. Huc sapientèr sapienti propositum, auguror: melius sentienti, lubenter cedens.

IV. HIE-

IV. HIEROGRAPHIA.

Præcedit Symbolum, ut desint vires. Quem verò notet Princeps, obscureum est. aut potius, quem laudet, sive principem socium at inopem: aut militem temerarium, licet imbecillum. Animus enim est, non Lacerati, qui virum fortem facit. Deiotarum Romani amarunt. & laudarunt non propter vires, sed fidem. Qua de causa antè, unius Pergami Regem pluris fecerunt, quam Macedoniae aut Asiae potentissimos Reges: & Regibus Aegypti in amicitia adæquarunt. Nec Carolus Quintus in Antonio Leiva corpus, ad animum suspexit. Nam facimus serè quidquid volumus. & non tantum nos, ipsi superamus, sed & hostes & fortunam & naturam ipsam: si omnino volumus. Tantum præsidij nobis est domi. Quod si vis major rectis conatis aduersetur; Laudatur tamen semper, velle iustum & arduum.



Archidux Austriae

95

Ferdinandus Archidux Austriae Dux Burgundiae Stiriae
Carinthiae Carniole Wirttembergiae et Ferd. Imp. Fil.



Ferdinandus Archid. Aust. Dux Burgundiae Stiriae
Carinthiae Carniole Wirttembergiae Ferd. Imp. Fil.



Carolus Archidux Austriae Dux Burgundiae Stiriae
Carinthiae Carniole Wirttembergiae et Ferd. Imp. Fil.



V. HIEROGRAPHIA.

Potentia fati magna est. ut ex Tiberio & Domitiano Imperatoribus populi Romani, manifestum sit. Horum enim Mathematicus imperium, alteri alter exitium, vaticinatus est. imò & sibi. Erat autem Mathematici illius nepos. Magna igitur est vis fati. Si non in animos; in fortunam & rerum successus atque eventa. Mystra noster, ter miserum hominem, qui aut naufragio enatarat: aut blanditia temporis & maris invitatus, laverat, in Balænam incidere (quantulo enim spatio à rictu abest,) qui alterum pedem in sepulchro habet? ostendit: & ut certi casuum, qui huic naturæ impendunt, incerti quorum, & quo tempore, in melius vitam commutemus: & diligentius nos commendemus. cujus providentia, longè potentior est, potentissima vi fati. (Necessè enim est primam causam, ut priorem; ita & superiorem esse secunda) graphicè admonet.

VI. HIEROGRAPHIA.

Firmata, inquit Princeps, resistunt. & simul Navim, quasi digito monstrat anchoris jactis firmatam. quam hinc procellæ, istinc venti, nequidquam impetunt. Omnem enim vim perfert, & elidit tempestatem. Si Navi sua sunt fulcra, & quasi fundamenta in mari; nobis sacram anchoram oportet fixam esse in celo. Suo enim quisq; rectè stat Loco. Si alio stat; aliò nititur. ut sursùm levia deorsùm gravia. Magistratus bonus, est Magister bonus. Felix civitas, & natio, cui obigit. Felix fortunataq; Austria, cui jam hæreditarius est. Felices nos, ad quos communio bonittias, & portio bonorum transit.

VII. HIEROGRAPHIA.

Hæc, non re alia, quàm numero, à proxima discrepat. Forte tùm socios secum constantie & securitatis admonuit. Nunc se ipse stabilire: & adversus omnem vim, quam celi incommoda & maris discrimina referunt, se consilij dexteritate, ac animi constantia obfirmat. Nam lubrico in loco versamur omnes, quamdiu in terrarum orbe versamur: Principes etiam præcipiti, quo magis arduo & excelso consistunt loco.

VIII. HIEROGRAPHIA.

Vtrum hîc obscurius? Symbolum an Hieroglypton? dictu difficile est. Ab hoc incipiam. Veritas est, quæ tabulam temporis sustinet: matricq; ancillatur effætæ. æquum enim est. & gratius est generici annosæ, obsequium filiæ, quam ancillæ, Est autem tempus, omnium vetustissimum. Nemo me repræhenderit, crediderim. Si pro foemina accepero, quod indiscreti sexus est apud Latinos, masculi apud Græcos. Nam dies apud utrosq; foemina est. & temporis momentum antiquissimum. Hoc fortassis ad rem non ita multum, sed malevolentia rugentium, & invidentia sciolorum nihil satis. Cæterum tempus in tabula habemus: quo Ferdinandus tabulam signavit. Aggrediamur, Symbolum. litteræ sunt quinq;

quinq; cum nota aspirationis. quæ conjunctæ nullam vocem constituunt: disjunctæ sententiam faciunt: verba singulæ, ex quibus oratio componitur. Nihil est novi in Germania; sed accersendus è Græcia, Oedipus aliquis, qui interpretetur. Ac quod aliæ sunt Græcorum Litteræ: ne accitus aut non veniat, aut non intelligat; fortiamur, quid dicamus. V. ut. T. tunc. (anno scilicet M. D. LVI.) H. hoc, E. ego. S. semper, E. ero. Quod autem ego sic conijciam (meliorem enim non reijcio enarrationem) facit Principis perpetua, etiam in re amatoria, non gravè solum, & constans animi Heroici constantia.

IX. HIEROGRAPHIA.

In ipsò Ponte Euxini ostio, trans Bosphorum Tracium, aut insulæ, aut scopuli duo sunt, Symplegades appellant. coëuntium speciem, tam propinquæ sunt, deflexa paullùm acie intrantibus præbent. Vnde jocus Martialis, & horror Euripidis. Hoc scopuloso & periculoso loco, si non se, militari habitu animum suum invictum Princeps statuit. anchoram jacturò similem. ut omnes intelligant, se ex statione; quam à Deo obtinuit, non esse excessurum; sed defensurum terra & mari: imminet enim ex terra, mari. & quidem ut ipse loquitur absque metu. Magnus animus invicta mens. Nam hinc Veneti, istinc Turcæ semper incumbunt. Nos Principis exemplo, si in documento, præsidij non satis est, incitemur ad res magnas cum obeundas, tum perferendas. Turpe enim est animo labi, etiam si undiq; circumstant dira & dura. Laudabile, imò & salubre, contra niti. Nam sæpe cedit fortuna virtuti: & si non cedat, victoriam quidem, sed cruentam relinquit, aut impeditam victori.

X. HIEROGRAPHIA.

Manus hæc insertum aut pastillum flores collegit. Ita nostræ non necessitati, verùm etiam ingenuæ voluptati natura indulget. in ingenti gaudio fœcunditatis, tam variè ludens, ut nescias, pluribusnè stellis colluceat celū, an florib. terra respergatur. Si tam liberalis natura, ac quasi prodiga rerum, facilè nascentium, & nisi decerpas, dehiscientium primo, fluentium post, & perentium jam jam: quot enim non superant diem? quo spectet Mystæ Symbolum: sustine & abstine non satis intelligo. verùm quid è est, non omnes pereq; salubres esse: nōnullos, si propius admoveris, nares offendere. Iam veneno coronā tinxit Cleopatra, (ut narrat Plinius) illudere volens cautiore Antonio, & omnia metuenti, principio belli Adriaci, nec nisi prægustatos cibos sument. Ergò procidete hilaritate, invitavit Antonium, ut coronas biberent. ut vel amentium, vel amantium ferebat consuetudo. qui decerptam de capite Regina coronam haurire incipiens, opposita manu prohibitus est. En ego sum, inquit illa, care Antoni, quam tu nova prægustantium diligentia caves. Adè mihi, si sine te possem vivere, aut ratio aut occasio aut ingeniū deest. Inde eductus è custodia, qui haurit è vestigio expiravit. Non nihil igitur causæ, est Mystæ præcipienti, in hac prodigalitate ludentis Nature: Sustine & abstine. Sed Mystica disciplina receptum est, aliud velle, & aliud videri velle. Flores igitur aut forme sunt, aut aliquid forma indignius: aut deniq; flores, non fruges. & id genus alia. quorum fastidium, dignius homine libero & ingenuo, quàm desiderium Naturæ enim flores & odores in diem gignentis, magna & palam admonitio est: quæ spectatissimè floreat, citissimè marcescere.

Archidux Austriae

Carolus Archidux Austriae Dux Burgundiae Stiriae
Carinthiae Carniole Wirtembergae Ferd. Imp. Fil.



Ernestus Archidux Austriae Dux Burgundiae
et Maximilianus II. Imp. Fil.

Matthias Archidux Austriae Dux Burgundiae
et Maximilianus II. Imp. Fil.



Matthias Archidux Austriae Dux Burgundiae Stiriae Carinthiae
Carniole et Generalis supremus Regni Hungariae



XI. HIEROGRAPHIA.

Plinius non unius Delphini amorem erga puerum: quem dorso excepto veheret ad ludum litterarium, & reveheret; Sed plurium erga plures, commemorat. Quæ visa & à dignis fide, prodita memoriæ, fabulam Herodoti de Arrione, confirmant. cum & Musica Delphinem capi, usu compertum sit. Hic non puer, at Dea vehitur, vel occasio, vel fortuna. Velum enim hujus est: capillitium illius. Si igitur credibile est homines adamare, quod aliquando fuerint homines; non est à fide absonum, naturæ parere augustiori. Nam & hoc homines faciunt, ut par est. satis pro Hieroglypto. Nam de Bacchi severiori vindicta exstat Dialogus Luciani. Ad Symbolum accedo: Audaces fortuna juvat. Audacem & plusquam audacem Horatius facit, qui primus fragilem, commisit pelagoratem. Quanto audacior, qui sine rate? qui Delphinum equitat? Et non solum periculo maris, verum etiam lubrici piscis mobilitati salutem credit? Audacior longè profectò est. Navim enim gubernat ille: hic fertur & gubernatur à Delphino. Sed quanto audacior hic, illo; tantò audacior, qui fortuna fretus, longè instabiliore, cum mari, tum vento, ad res gerendas accingitur. ne dicam temerarius. Et foret ædepol temeraria audacia: si non juvaret, & consilio regeret fortunam. ut hic fortunata occasio, Delphini cursum, excepto in velum vento.

XII. HIEROGRAPHIA.

Solvit nos dubio Princeps. Nam quæ loquitur, Fortuna est: pila enim stat, ubi Poëtæ, propter mutabilitatem collocant: & quæ Poëtæ, in os ingerunt, effutit. Ego de Fortuna duos libellos scripsi, & scripsi Homerum non meminisse Fortis fortunæ. Et certè non meminit in tota Rapsodia. unde certè convincitur, hymnos alterius esse, in quibus fit Fortunæ mentio. Quemadmodum si Orphei essent omnia, quæ sub nomine illo feruntur, ut plausibiliore; Phocylides non tribueret Iovi, quæ ille fortunæ. Sortita nomen & numen Fortuna sero est. prudentium callida inventione, ut à vero Numine, in falsum fabulosumq; nomen, contumeliam hominum averterent. Causantium semper Deos, si quid aliud, quàm ipsi vellent. Lege Senecam in Agamemnone, & Euripidem in Hecuba. quanquam nec hæc convitijs in Iovem abstineat, criminatur utrobique fortuna. Palladas modum excedit, qui vitam hominum, fortunæ ludum appellat. Bupalus fortunæ signum, primus omnium, apud Smyrnæos effinxit. capiti polum imponens: altera manu, vocatæ Amaltheæ cornu. Nec refert, non eandem hic assè imaginem. Nam Tibullus & Ovidius in orbe statuunt, quos Mystra noster sequitur. Quod quisque sentit; de fortuna dicit & fingit. Archilochus anum facit, altera manu flammam gestantem, altera aquam significare volens omnium bonorum & malorum. Ovidius alibi cæcam vehi cisis, quæ cæci traherent equi, ludit. verè nihil aliud est Fortuna, quàm incerta rerum causa. Hic, cujus causa tam longa excurrit oratio, audax loquitur: Audaces juvo & non tam insolentes, quàm verè loquitur. Semper enim aut plerumque sequitur fortuna virtutem: nec in ærumnis, quenquam magis, quàm nos ipsi, criminamur,

bimur, si sapimus. Et si quid nobis non tantum præter opinionem, verum etiam meritum eveniret. Iobi in mentem deberet venire, eodem animo adversa accipientis à Deo; quo animo prospera, accepta refert Deo.

XIII. HIEROGRAPHIA.

Ex duobus ramis, Lauri & Palmæ, orbiculari forma, in totidem diademata, coactis, videmus corallam: & legimus soli Deo gloria. Hac Hierographia *μακαρίτης* Archidux Ernestus, suam erga Deum pietatem, posteris testatam reliquit. Pacis enim & Belli, commoda & ornamenta Deo vindicanti, regnum celi & terræ tribuit. omniumq; quæ laudem & gratiarum actionem merentur, soli Deo, piè ascribit. vulgata sunt. Vtinam ita re, uti sermone vulgata. Nihil enim boni, in nobis est, aut è nobis; sed à Deo, fonte boni: & solo bono. verte te in omnes partes impie. Ad unam, simplicem, & primam causam, veniendum est necessariò. Si debetur Deo; reddatur Deo. Hoc est, quod tacens loquitur Ernestus. dignus longiori vita. Nam si haberemus Principes, qui nos, non tantum Legibus regerent, & armis protegerent; Verum etiam moribus præclaris informarent; Legibus non magnopere indigeremus. cum nulla sit efficacior lex, quam viva Lex, Rex.

XIV. HIEROGRAPHIA.

Amat victoria curam. inquit Mystra, & præmium Victoriæ, Lauream coronam, supra scopulum collocat alatum. bravij instar loco conspicuo & eminenti. Nec tantum amat, sed imperat & exigit curam: præpete aliàs penna ad hostes transitura. Quot exercitus in ipsa victoria sunt cæsi fugatiq;? quot duces victi? quot reges subacti? solvit enim blandiens fortuna, ordines: mollit duces: depravat Reges. Ad Ravennam, imò & multò antè victores Galli, vel interneccione deleti, vel paulò post. Italia magno accepto dedecore & detrimento, exacti. amisit ducibus. Epaminondas quoq; ad Mantineam, hostibus acie superatis, lethale vulnus accepit. Alexander supervixit rebus à se gestis, & subacto Orienti; sed vitijs victarum gentium de libutus, à se ipse degeneravit, & quasi victus est. Eadem pestis Pænos victores invasit, & Italia expulit. Si tanta difficultate, retinetur victoria; quanta cura & industria paritur? captæ enim feræ etiam mansuescunt. Quamobrem ad victoriam, cum acquirendam, tum custodiendam, omnes non ærarij solum, verum etiam animi nervos intendere oportet: nec committendum, ut si quid adversi eveniret; nostra id culpa accidat. Nam opinio de nobis, multum apud cives, nec minus apud hostes, in utramq; partem potest.

XV. HIEROGRAPHIA.

Alia figura Princeps eandem sententiam dilineat. quam nos jam, Poterum coloribus, depingemus. Perseus liberat Andromedam, expofitam ceto. Andromeda, quam Nereides scopulo alligarunt, quod se cum de forma contenderet, est nuda. Cetus è mari mergens in hia prædæ. liberator intervenit. aut intervola potius (virgo enim insons erat. Cassiopes de filia ea errat jactantia) succinctus talaribus Mercurij alatis. Nec, etiam si veniret citus, venit imperatus. Sed armatos erat galea Platonis, gladio Mercurij,

Mercurij, & scuto Palladis, in quo esset caput Medusæ, ut tam sibi saluti foret, quàm hosti exitio. Cato igitur rigente in saxum, Andromedam solvit periculo, & sibi copulat conjugio. Ita, quæ, à Poëtis, accepi multis, ego paucis reddo. Quid ad Principem, aut Principis sententiam hæc fabula? Quod, ut Andromeda Ceto objecta; ita Hungaria, de cujus amenitate, felicitate & pulchritudine Historici & Geographi; sit exposita injurijs Turcarum. Quam qui in libertatem vindicaturus sit, festinet, ac celeret, advolet in tanto periculo necesse est; Sed ne imparatus, ne impar hosti, caveat. Et quod Dij de cœlo jam descendant, fugiant contagio mortalium, immortales; descendant in Hungariam, adversus communem hostem Christiani Numinis & Nominis, Principes & populi: Cæsaremque levent auxilio. Medusæ enim caput foret, & si quid terribilius, Vindicta Dei, Turcarum Tyranno, concordia, & fœdus Christianorum. rigeretque non ad conspectum modò, ut Cetus, verùm etiam ad ipsum nuncium. sic fortè ad sententiam Mystæ accedimus. Sed quod paucos moveri aut suo, aut publico discrimine videamus; tibi pia prece Deo, reliquam spem Hungariæ commendo, rogans atque obsecrans; ut sedem etiam nunc nomini tuo faventium, olim pietatis tuæ propugnaculum, à terrore, libidine & rapina Barbarorum liberet: & legitimo Cæsaris Rodolphi, famuli tui, domini nostri, imperio restituere digneris.

XVI. HIEROGRAPHIA.

Ciconias & Grues è longinquo venire concedimus Plinio. ne graves veniant, has æstatis, illas hyemis esse advenas, naturæ sagacitas est. Grues verò, nam harum aliquam considerare, in acervo armorum, video, in expeditionem eligere ducem: servare ordines in itinere: quæ extremum agmen cogant, medium obtineant, primum ducant, esse veluti tribunos: Vigiles servare nocturnas excubias. Lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens, in diligentiam coarguat. Cæteras dormire, sub alis capite condito, alterno pede subsistentes. ducem erecto providere collo infomnem, & dare Mandata. solertioris, omnia, quàm brutorum animantium, naturæ sunt. Nam nos in rebus gravibus delitias agimus: in periculosis ludimus: in bellicis torpemus. Quæ causa est Mystæ volucrum exemplo, ut, leviores his simus, veterno excitandi.

Nam si quidquam moramur; morimur, aut vitam precariam retinebimus & vivemus,
omni morte detestabiliorem.



Archiduces Austriae

Mathias Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniole, Generalis Supremi regni Hungariorum



Mathias Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniole, etc.

Maximilianus Archidux Austriae, Dux Burgundiae, M. Mag. Equitum Theutonicorum



Maximilianus Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniole, etc. Magnus Mag. Equitum Theutonicorum ordinis S. Georgii p. Carni.



XVII. HIEROGRAPHIA.

Antè Marium, Lupi, Minotauri, Apri, Equi, cum Aquila erant, si qua militaria Romanorum. Aquila fuerat Persarum. ut ex Plinio & Xenophonte manifestum est. Draco Indorum & Scytarum. Post recepta etiam sigua Principum, ut ex Dione colligitur: & jam olim etiam ducum. ut Statius innuit, nisi annuat ad receptum morem Romanorum. Nam Apollonius Rhodius, suis duces insignibus insignit. Igitur & Principi nostro etiam si exemplum non haberet, licuit vexillo superponere, qualemcunq; animantis effigiem: modò sibi sua constet ratio. Nam cum alij excitent militem ad virtutem, fortitudinem, vigilantiam, & imitationem ferarum, quas in signis ostentant; ipse gnarus virtutis & fortitudinis Germanorū, sociorumq; in Grue sua hæret: iterum atq; iterum excitat: & sub eadē imagine, expediti consilij atq; consilij rationes exigit. Dixi vexillo superponere. Nam licet pila sit, vel orbis, quo Isidorus Augustum esse usum, ut ostenderet orbē subactum; mediū relucet à centro, alijs atq; alijs pilis ad circūferentiam usq; è purpura, ut reliqua, cui aurū intertexi ceperat. Ceterum hoc signum, signū imperij, duę Nymphę nude, id est ceteris curis solutæ (quod satis habeat quod agat, qui potentem hostem habet, inter signa militaria & arma (satis enim non est habere, sed & oportet tueri) ægræ sustinent manibus, sustentant humeris. Si vix Deæ ferendo sunt; quī nos efferendo? nisi nos Deum in auxilium advocemus? & nobis ipsi opitemur? satis dicit, quod factum vellet, Princeps.

XVIII. HIEROGRAPHIA.

Quemadmodum bonus paterfamilias, aut clarus Dux, idem atq; idem sapius hisdem inculcat: quibus videt, aut ingenium, aut animum deesse; ita Archidux, salubre iterat præceptum: Amat victoria curam. diversis semper ut apparet, ut removeret fastidiū, simulacris. Iam enim duo Genij alati, signum Augustale admonent Palmæ: Orbem, inquam, à priori differentem, quod hinc folia, quæ Palmæ æquæ sunt, à centro ad peripheriam fluant: & æquitatis causę æquos esse successus demonstrant: nec dubium fore exitum felicem, si nobis curæ sint successus. quod Grus super palmam sedens, non stertens, eructat.

XIX. HIEROGRAPHIA.

Si Laurus est scapus, in quo vigilat Grus, non satis discerno. ita nycto. Tres scapum circa in orbem tres laurum duci topiario opere, vel cæcus, etiam si nil de numero. si non viderit, senserit. Ita redolent cum frondes, tum baccæ. Et fortè cæcus si de numero audiverit, meliùs nobis divina-rit, ut illi fabulosè evenit: evenire solet, animo à sensibus abstracto, quid tres orbem, circa eundem diametrum velint, præsertim Laureati. Divisum enim si audierit olim, in totidem partes, orbem terrarum; conijciat, veluti de palo suspensum universum orbem; explicatum verò in suas partes, ut divisione clarior sit, & habendi cupidos magis accendat. Cum autem Gruem audiet, teneri Scapi cuspidem; manus tollet, & hinc cura, omni aliarum rerum cura quæ non sunt necessaria, posita, opus est, exclamabit. Hæc si cæcus viderit; quid nos hallucinari possumus, in hoc rerum usū; aut cæcutire, in tam molesti diurnitate belli?

XX. HIE-

XX. HIEROGRAPHIA.

Leonem qui antè non vidit; ex unguibus & rictu, hanc esse imaginem Leonis, animadvertet. adeò vulgatum est Leonem & omnia Leonis, spectare ad rapinam, impetum, sævitiam. Hoc tamen sæna, rapaci & edaci forma, Natura abdidit animum placabilem, beneficum, & generosum magis quam sævum. Magna vis Naturæ, inter tam contraria, eminentis. Negat sævire sævitiam illam inter se Plinius. Hoc in primis insigni cum probro hominum, non ita ulli animantium, ut sibi mutuo infestorum. Quod si ne fœminæ quidem mas, licet adulterij impatiens, ultrà quàm irascitur; aut amor est, qui furorem lenit, aut animus plusquàm placabilis. Plinius addit, supplices audire & exaudire: multisq; exemplis auditu rem stupendam comprobat. Nec ita in circo reor. Leonem amiculo Gætuli, objecto consternatum; ut hostem ignavum contempsisse. Nam rotarum stridor, Galligallinacei cantus, naturæ sunt, tantæ feritati illudentis. In Thoas, & de quibus digna memoratu victoria est, aliàs fertur. ut laudem magis appetere, quàm prædam petere videatur. Hæc breviter de forma & natura Leonis: nec inepta, uti apparet, ad Symboli enarrationem, Fortibus resistit. Leo enim Archidux Maximilianus est, qui in carcere etiam animum retinuit invictum. & missis, à quibus erat vocatus in regnum, attractus in carcerem, Turcis, quos non injuria fortes appellat, animo Leonino sese objecit toties. majori virtutis, quàm fortunæ gloria.

XXI. HIEROGRAPHIA.

Castris positus, Militemus inquit. Mascula, imò & magna vox, dignaque tanto Principe. Quid ergò? inquires, omnianè sunt in castris posita? Minimè verò: sunt enim ut gemina Reipub. tempora; ita diversa belli & pacis studia. optatiora quidem hæc, sed & illa clariora. nec minus necessaria: cum tantum quisque tenet, quantum manu tenere possit. præsertim vicino, cui satis causâ bellandi est, causâ dominandi. Rectè igitur, Militemus inquit, cum eò ventum est, ut Marte sit agendum, non disceptandum Lege. Hæc enim Lex est, non à nobis inventa, sed à natura lata: & insita in indole animantium etiam reliquorum: Vim vi ut repellant. Et rectè nobis inquit. Quanquam enim ad nos propius in dies, furor hostilis penetret; nemo ferè ex socijs, ad commune incendium accurrit: solus Cæsar pro omnium pugnat salute. Cæterum Pyrrhus castra metari primus docuit: & eo nomine, non postremum nomen, inter clarissimos belli duces, judicio Annibalis obtinuit.

XXII. HIEROGRAPHIA.

Quæ hæc virago? quam hasta armatam comitantur cicur Leo, & sus ferus? Si Circe, unde scutum Palladis? Si Pallas; Plutonis ubi galea? ubi pro crista galeæ, ales Martius? Iam mamillare, sit pelliceum; non est Aegis, quam Virgilius & Euripides describunt, horrens monstrosi capitibus & distincta Lacinijs serpentinis. Breviter nil Palladis video præter hastam, à qua nomen, apud Græcos invenit: & scutum capite Gorgonis

goms insigne. Ad Circem ferarum domitricem, aut efferantem homines comites propius spectant. Et hanc nec cassis, si tamen non est calendum, capitis istius tegumen: nec hasta dedecent. Sarmatarum enim Regi nupsit: & sublato Veneficijs viro, ausa est, in viros usurpare tyrannidem. ut non providè; sic nec prosperè. Regno enim exacto in Italiam abiit exulatum. Hæc refero, ut ostendam, arma decerè Circem quoque. Quod si Symbolum pateretur; Circe esset. Nunc, Frangit & attollit, licet Historicè de utraq; dici possit. Hasta frangit comminuit, delet: & scutum attollit, sin, contra majorem vim, defendendi gratias; Mysticè Pallas frangit hostem, id est sapientia, cujus illa præses est, temeritatem in dictis & factis tollit: & attollit, in Luce collocat, digno statuit loco, rectè consulta & fortiter facta. Quid igitur Mystra sibi augustius quippiam arrogat? Non ea est mens Principis modestissimi; sed per sapientiam Dei, justissimam Cæsaris causam, ab injustis armis Turcarum derimentis, pollicetur sibi victoriam, de potentissimo Tyranno Asiæ, Africae & Europæ. Nam Plato in Cratylo, de Pallade, ex Iovis cerebro, nata, ea scribit, ferè, quæ nostri Theologi, de Verbo æterno, Mentis æternæ, multum differens à Luciano, qui partum illum, in quodam Dialogo per contumeliam, describit. Iam per Leonem, Tur-

cam intelligit. Per suem, ecquem? alios percunctare. Ego enim à convitijs, calammum meum libenter abstineo.

abstineo.

Archiduces Austriae

Carolus Archid. Austriae Princeps

Albertus Archidux Austriae Dux Burgundiae

Hispanie Philippi II regis Filius

Stiriae Carinthiae Carniole Com. Habs.



Ferdinandus Archidux Austriae Carinthiae Dux Stiriae

Carniole Wirtenborgie



XXIII. HIEROGRAPHIA.

Duo erant olim ducum belli decora, ut ita loquar, momentanea. Græcis Trophæum, Romanis Triumphus. Plura militum, Romæ præsertim: & infra Triumphus decus, ducum quoque summa attingo. Video enim Trophæum hîc depictum. Erat autem Trophæum, spolia hostium, truncatis apicè arboribus & ramis arborum, fixa. ut Virgilius Mezentio cæso ostendit. Momentaneum dixi cum Triumpho. licet enim diuturnius foret, aut defluere armâ, aut labi vetustate arborem erat necesse. Reperiti sunt, qui celarent ære, aut marmore scalperent. inconsulto consilio. Nihil enim ad perpetuandas similitudines efficacius est, memoria maleficiorum. Excitabant Milciadis trophæa, Themistoclem. Et Perfas eadem revocabant in Græciam. Romani devorare potuerunt, ignominiam & cladem, necè Crassi, & intereptione exercitus acceptam. Signa verò Crassi, id est, memoriam repetunt: & his redditus Augustus quiescit. Oportet existere monumenta Virtutis. Deus Bone? & quod monumentum clarius? vivacius, perennius, Historia? vero, unico & solido monumento rerum gestarum? Triumphus & Trophæum, M. Ciceroni, videntur, ut sunt, ludicra pænè puerorum. Nec Princeps, Melitemus inquit. quasi non alia spe, quàm Trophæi. abest ea Levitas, à tantâ gravitate; sed ad milites, si non oratio: ratio efficax est, impigrè pugnandi. Spolia hostium, sive in medio posita, sive de arbore suspensa. Prædam ea colluvies. Pauci sunt qui laudem petunt, abolita consuetudine Romanorum, pro aris & focis non tam pugnantium, quam sese devotentium. quod fieri necesse est, ubi mercede conducuntur, non amore in patriam ducuntur. Quemadmodum igitur Cyrus Minor, maxima Græcis promittit, quibus Erasmus scribit Germaniam ex Germania exciri posse; ita mercenario militi prudens dux, quibus inhiat, spolia hostium demonstrat.

XXIV. HIEROGRAPHIA.

Iason est, quem cernis, sparum læva, vellus aureum sublata dextera tenere: & dextro pede draconem calcare, velleris auræi custodem: manu dextra securum, sinistra habere ignivomos victos & in domitos tauros. Ita ex una imagine colligimus breviter, quæ vix legimus apud multos Poëtas, omnia. Multis post seculis, quàm hæc aut facta, aut ficta sunt, Philippus, quem non falsò cives, Bonum appellarunt, Dux Burgundiæ, Ordinem Procerum lectissimorum instituit, & vellere aureo insignivit: non abs ullo fastu, sed animo religionis servandæ, propagandæq; ut ex Epitaphio ejus, ne fictum in gratiam, aut metu expressum testimonium videatur, liquido apparet. Nam memor infauscæ expeditionis Hungariæ, jam tum posteris ostendebat viam, non in Colchidem, sed in universam Asiam, recepta Europa, transeundi. cujus opes Turca veluti Draco, præreptas & præclusas nobis servat. Nam ut Iason, non solus, at socijs totius Græciæ Principibus, in Colchidem pervenit; ita duci expeditionis arduæ, & jam necessariæ: non enim in Colchide quærendus est hic Draco, sed foribus nostris propulsandus. opus est subsidio & societate Principum

cipum & Civitatum, totius Christiani nominis, omnium. ut pluribus P. Iovius nequidquam docet. Et quemadmodum Iason, non mari tantum, sed & terra jactatus fertur; haud aliter Turca terra marique, ne habeat, quò se vertat, incusso & illato undiq; terrore, oppugnandus est. Nunc dum terra bellum trahimus, aut mari ducimus; ipse vires in unum contrahit, & facile sustinet impetum. imò cum non pugnet qui deberet, sed qui cogitur: & alter alterius prelium ociose spectat, singulis aliquid præripit. ac in Medeam, id est, recta consilia sequamur, & in commune conferamus vires; quod rationi consequens est, non vaticinor. sed veror. Brevitati studeo, & fugio querelas: quid enim tibi fastidium pariam? aut mihi molestiam, nihil Reipub. profuturam? Præcipientes enim ruimus, in mutuam perniciem, bellis intestinis. Hic prolixior fui studio Mystæ: cujus consilium Hierographia expressum, est salubræ & necessarium. Ac ne consilio aliquid desit; Symbolum (Assiduitate) ad Hieroglypton accedit. Nam consilio quidem opus est antè factum; sed à facto non cunctandum. studio, assiduitate, diligentia, potius maturandum. Horum si fidem Christianis facere, Christianus Princeps possit; Turcas, verè Tauros: sunt enim nostrorum multi, qui in belluinam degenerarunt naturam, qui Turcæ ancillantur. imò hoc est robur, hæ vires, (hoc præsidium Draconis) etiamsi ignem & Martem spirarent, nullo negotio subjugaremus, & frangeremus spiritus. Ac ne nascantur, ex dentibus gigantes, id est, posteri majoribus potentiores. ut à contemptis initijs, in hanc immanitatem, Tyrannis primùm contempta evasit; abrumpenda omnis societas, rescindendum omne fœdus, inferendum uni ab omnibus bellum est: & malum omnibus infestum, ab omnibus eradicandum. Sic sic aureum Vellus, aut sub hoc nomen, incredibilis Orientis semper divitis, nunc nostra miseria ditati, opes, cum ingenti perennique nominis gloria reportabimus. qui nunc inter nos non minori periculo, de mutuo exitio decertamus. Quantum civilibus aut socialibus bellis, auri, sanguinis, Virum, exercitus, falsum est? Cadmæ tamen victoria vicerunt. omnes, si qui vicerunt. Nec tamen, qui vel suo vel alterius periculo sapiat.

XXV. HIEROGRAPHIA.

Legitimè certantibus, inquit Mysta: & per coronam auream, trajicit geminos Palmæ ramos. Nam in ludicro certamine, palma donabantur Græci, aureo diademate cingebantur, cum alijs de causis, tum, ut nunc regnandi. Ac divus Paullus quidem ad morem istum respiciens, extatur nos ad legitimè certandum. Spirituale illud certamen, cum Carne, Mundo, & Diabolo. proponit præmium coronæ nunquam marcescentis. Non quod operæ debitæ, ulla debeatur merces: aut non satis sit præmij, in ipso Dei servitio & cultu; Sed quod animi hominum invententur præmij: & licet non debita, Virtuti & Pietati Deus præmia rependat. Hinc Mysta cum præmia proponit, tum ea distinguit quoque. Alia enim sunt præmia justa & hujus vitæ: & alia æternæ. Proponit autem eodem consilio, quo Paullus. quo bonus legum aut lator, aut gubernator, & ut beatitatis æternæ gratia, haud dubiè & fœlicitatis Reipub.

Nana

Nam non minima felicitas Magistratus est, parentiū virtus. Et de virtute, est jucundissimum certamen. si virtute certatur; & non uter potentior, sed melior evadat. In bellum aliās non bellè ruimus: & necessarijs armis honestam aut piam causam prændimus. cum ne cum perduelle quidem, nisi piè & justè bellandum sit. imbecilliori etiam, nisi necessario. Non enim semper benè fit, quod benè: nisi etiam tempestivè. Pollentiori nisi non solum quid possit, sed & quid debeat, consideret. Debet autem in judicium adhibere rationem, non libidinem. Nam, quam maximè appetit, gloriam amittit semper: quæ enim est gloria, cum scelere, in justitia, immanitate conjuncta? nonnunquam &, quod vult invadere, imperio excidit: quod enim validissimi exercitus, exigua manu fusi fugatiq; sunt? His de causis Princeps ætate florens & studio Reipub. incensus; præmia non tollit, sed relinquit certantibus legitime.

Duces et Principes S. Rom. Imperij

Philippus Audax Dux Burgundie et
Brabantie Comites Flandrie et

Margarita Philippi uxor Ludouici ul-
timi Comites Flandrie et Braba. Filia



Ioannes Dux Burgundie et Brabantie
Comes Flandrie Artesie Rossiloni et

Margarita Ducis Alberti Bavarie et
Com. Hannonie filia Ioanni Duci unor



Philippus Drobis Dux Burgundie et
Brabantie Comes Flandrie et

Carolus Dux Burgundie et Braban-
tie ultimus Comes Flandrie et



I. HIEROGRAPHIA PRINCIPVM

III.



Olinus ignitabulum appellat, ex quo, ignis, percussu filicis elicitum. repertum apud Pyrpilem insulam, nunc ubiq; gentium (necessitas usum probat) divulgatum. Hoc sive ignitabulum, sive igniarium, ut Budæus nominat, est, quod Dux Burgundiæ pro Hieroglypto usurpavit, quod Symbolo hîc decorat: Antè ferit, quam flamma micet.

Et Verum est. Antè enim fomes, sive suscitabulum, ignem excipit, icta supina parte (σπογγύς dicitur.) quàm sulphuratum (ramentum est sulphura tinctum) flammam ex esca eripiat, & accendat Lucernam. Cur autem Burgundo usurpatur quod servile munus; quæstio superest. Paradinus existimat, belli averruncandi causa. Nam cum dux natura bonus esset, & sciret bellum sæpius injustum, nunquam bellum: quod tam atrox, crudele, inhumanum; ostendere voluisse suis, & vicinis, nimum pronis ad arma: ex conflictu duorum, ignem, stragem, ruinam omnium prius sæpe nasci, quàm bellum inchoatum sit. Nihil egit, si satis est, voluisse aliquid, arduis multum, & quidem longè plurimum egit. Non enim est Cyneas, qui disuadet bellum; aut Seneca, qui Alexandros, prædones appellat; Sed Burgundiæ Princeps bellicosissimis populis imperitans, ipse non ignavus. Et multum facit, ad faciendam fidem; quis sit, qui consilium dat. Nihil egit, dico: quod Carolus Dux Burgundiæ, stirps hujus, in bello mortem occubuerit; cujus causa erat, currus ovinis pelli-bus gravis. non alia culpa Ducis, quam quod Monfortium clientem suum, rapti reum, injustè defenderet. Hæc omnia ad Paradini sententiam pertinent: nec enim is sum, qui recta oppugnem, ut qui ex alieno probro, sua alijs probare cum nequeant, laudem malitiosè captant, sed qui propugnem, si possem: aut quidquam valeret hic stylus. Olim tamen irè tributum est, & sumbtum à fulgure, quod ante tonitru corruscat, & sine quandoq; tonitru; ut ante flammam, scintilla ignis. Ita priusquam animum nudent multi, irati nocent. nec Principes solùm, qui quibus succensent, plerosque habent in potestate; verùm etiam privati, qui volunt haberi & sunt χειροδῆκαι Hesiodo, manibus jus vindicantes. si tamen jus, quod injuria vindicatur. quoties jam injuria vindicatur injuria? Horum aliquem ita incaluisse ira. Theocritus scribit, ut ab ea facile καὶ λῦγγομ ἄψαις planè, ut ab esca, inflammatur lucerna. Hoc similitudinis causa, non dissensionis à Paradino, adjeci. Nam ad belli, præsertim conciti & injusti causas, accedit ira, malus ejus, quod agitur, etiam si benè consiliarius.

II. HIEROGRAPHIA.

Revulsa hæc de vipera opinio antè à nobis, sive potius Matthiolo est, cum usu suo, tum aliorum testimonio. Nondum evulsa ex animis hominum. & Herois ista, antè Matthiolum vixit. Si autem dicit, quod in Symbolo dicit; quod ipsa tantum infœlix est, sed & genetrix in partu objit. Aut quid dicit? sentit, inquam, cum dicit? Hac natam me,

ratione puta; ratio id est talio, genus poenæ non iniquum semper, necat. Referrî & ad alia potest. ut antè attigimus. Nec tantum invidus se macerat ipse & enecat: Verum suo quisque vitio. quodcunque tandem est, carpitur: & nisi singulari præpotentis Dei indulgentia, pauci effugiunt, quod in alios audent. ni fortè æternis cruciatibus serventur, quos si qui non horrent (contabuerunt certè Pagani, nec vulgò homines, sed Tiberius, Nero, alij contentores Divum & oppressores Legum) quid pallent? quid pavent? quid quò propiores morti sunt, quæ finit ærumnas humanas, eò magis, ac magis trepidant? Ne igitur è nobis nascantur, quæ nata nobis poenam, interitum accelerent; non concipiamus animo infando; sed cor Sacrarium S. Spiritus, servemus impollutum Deo.

III. HIEROGRAPHIA.

Columna hîc est ansata. solida, ex marmore, aut qua alia materia: structile enim nihil apparet, nec striati. At scapus, supra scapum, capitulum: infra, spira, inferior Stylobates, feriunt conspectum. Iam annulos duos, circa medium, totidem, in diversum, manibustrahi, nemo non videt. Nam alteram cochlea, alteram ala insignit. Et ut cerne-re omnia proclive est; ita intelligere, collatum ad imaginem Symbolum, cuius judicij est. Vna enim vox, & non brevitate obscurum. Testudo, tarda est: ala verò præpes. Vt cunque moliris; evertes columnam, sive citò, sive tarde. conare modò, & incepto persevera. Licet altè fixa, aut æquè librata sit. Hoc est quod Mystra dicit: & dictum imagine illustrat. Architecto inquires, dixerit. quid mihi cum columna? importunus es. Quod in columna vides; id quavis in re experire. Omnia straveris, evertes, pessum dabis. Nihil erit tam arduum, quod non superabis. Nihil tam difficile, quod non vinctes. Obdura modò. Quidam & quædam spontè & citò ibi cedent: si ostenderis te velle, quod vis, nec pateris tibi verba dari: aut vanis promissis, spem eludi.

III. HIEROGRAPHIA.

Aquilam pictor Gruî hîc subjecit. Nusquam tamen huic cum illa volucre bellum esse legere memini. Nec sunt libri quos consulam. Plinius varia, Aquilarum genera statuit. Duo colligo, Gnesion & in suas species dividitur: ac spurium quod non subdividam: nec hercle Aquilis movebo de statu quæstionem. Cæterum Percnopterus Aquila Plinio est non gnesia. Vulturina specie, alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, sed imbellis & degener. Sed hanc Aquilam corvus verberat, eodem Plinio teste, non Grus. Et quo animo lacefferet Gruem, temerè ordines non deserentem? cum ne aquaticas quidem aves, nisi solas aggrediatur, quæ illis caussa, gregatim versandi? Iam mascula vox est. Symbolum. ut Corvus sit laceffitus, non Grus. Sive tamen Grus, sive Corvus laceffitus, hostem improbum magis, quam impigrum habet pedibus subjectum;

Herois

Herois prudentèr unumquemq; admonet: ne meliores, pollentiores ingenio aut viribus laceffant. digna, quæ hac tempestate renasceretur. Ita scioli, audaculi, Thraſones, Bavii, omnes tentant. & ut generoſos equos canis villaticus allatrat, non accedit; moleſti ſunt omnibus bonis. præfertim, niſi ſimul impudentes ſint, abſentes. Sed quid Heroidem repero? caſtigandi verberibus, non verbis ſunt. Quam Laudem Baro Boëmus Pragæ non ita nuper, pænè eſt adeptus. Neſcio quis malus Genius, à compescenda linguæ petulantia, & ruſticana licentia, virum generoſum diverterit.


V. HIEROGRAPHIA.

Vellus arietis, quod aureum fingunt, pictum & præmij inſtar cùm vides; tùm audis: Pretium, non Vile laborum. Honos alit artes: Merces operas. Hoc intereſt inter ſordidos & ingenuos animos. Hi ratione ad gloriam, illi ventre ad neceſſitatem ducuntur. Nemo, ut dicam, quod ſentio, nemo ferè eſt gratuito bonus. præfertim ubi latrocinari, quæſtuofius eſt, quam arare: plauſibilius ſimulare, quam colere virtutem. ubi, inquam, benè meritis præripit honores & opes, malignitas, & invidentia. Quod animadvertens longo rerum uſu Myſta; proponit laboribus præmium non vile. Nihil enim auro pretioſius eſt. Quid jam, ſi ad opes tantoperè Mortalibus concupitas, honores accedant? qui etiam viles animos, ſubinde tangunt? Certè plus gloriæ, quàm auri Argonautæ ſunt adepti. Aut enim fabula eſt, aut hiſtoria, de aureo Vellere. Si fabula, aurum eſt fictum; laus vera: Si hiſtoria, aurum ſive factum ſive infeſtum, jam diu perijt, gloria ſuperèſt immortalis. Tàm celebris ea expeditio eſt. Hoc agitabat ſecum Dux Burgundiæ, cùm ſub eodem Vellere, Burgundis & opes & honores promitteret. imò Chriſtianis omnibus, ſi aurum nobis diu evulſum, non Vellus aureum. cum ditiffimis fœcundiffimisque regionibus, unanimè reciperent: & iniuſtiſſimum incubatorem depellerent, barbarum Turcam. Non lubenter ſcribo, quæ ab alijs, mandata litteris ſunt. Quod ſæpius indicat ſermo de vellere aureo; in ſummam, quæ ab alijs ſparſa, contraham. Prius, novercale odium fugiens, cum ſore arietem conſcendit, non cujus Vellus eſſet aureum, ſed navim, cujus inſigne, aureum Vellus erat, & fortunæ ſimul ſuæ aveheret. Haſ mortuo Phrixo Iaſon, ut ferè, opes hoſtem alliciunt, in Colchide repoſcit, quem exilio locum, & in exilio regnum ſortitus erat. Et cum nequidquam res per ſeciales repeteret; expedit arma: & ſocios expeditionis, ut antè narravimus, ſumſit Principes. Græcorum, quorum nomina, nulla delebit oblivio. Mortales autem cùm ſimus; nihil viro benè nato & educato optatius eſſe poteſt nominis immortalitati. Prudens igitur Hierographus. Cùm enim oſtendat prædam Iaſonis; renovat gloriam Inſonis atque ſociorum. Movent autem teneros animos, exempla ſæpius, quàm præcepta.

VI. HIEROGRAPHIA.

Hyltrix eſt, Græcis Acanthochæron, nobis, in ſua cuique lingua ferè,


porcus spinosus, animal non amphibium, ut quidam opinati sunt; at silvestre, ut Oppianus tradit, cui adstipulatur Gesnerus. spinis contactum, ut Erinaceus; sed longioribus, missilibusque, cum intenderit cutem. Ora enim ut scribit G. Agricola, urgentium figit canum. & (quod ad Symbolum pertinet, Cominus & Eminus) paullo longius, tanto impetu, ut in ligno hareant. Hæ spinæ, sive aculei partim albicant, partim nigricant, non confusis, sed distinctis ordine coloribus, & in mucronem exeunt. Quo autem pacto inhorrescant, conspecto hoste; ex eo conje-
 ris: quod Oppianus neget, in opacis silvis, ullam feram, horribiliori apparere conspectu. Tota igitur imago, cum magnitudine animi Principis congruit. Ea enim erat virtute, ut, licet Belgarum & Burgundiorum opibus niteretur modò, Lodovicum XI. Galliarum Regem comperceret. nec huic vicinum tantò potentiorum, solùm; verùm etiam Imperatorem, in sui admirationem raperet: & Italiam metu percelleret. Dux Mediolanensium profectò, consilium Lodovico dedit: quo solo Rex, non armis servatus est. Ab Helvetijs, quos contra incitabat Lodovicus, est cæsus quidem; sed desertus à Cominæo, qui arcana Caroli prodidit: & proditus à Campobasso. Iam Duces Burgundiæ ad acmen pervenerant; ut vel descendere vel labi de illo fastigio foret necesse. Hoc erat in
 fatis. imò & Carolo in optatis, si ingentes illos animos
 consideres, quibus sine controversia, optatius erat cadere, quàm cedere.



Duces et Principes S. Romani Imperij

Carolus Dux Burgundie et Brabantie
ultimus Comes Flandrie etc

Guillelmus ab Hamonia astrouctanus
Comes Comiti Pal. Rheni. Holatela.



Ludouicus Dux utriusque Bauarie
Comes Palatinus Rheni

Albertus Dux utriusque Bauarie
Comes Palatinus Rheni



Guillelmus Dux utriusque Bauarie. Comes
Palatinus Rheni.



VII. HIEROGRAPHIA.

Præter ignitabulum, de quo pendet Vellus aureum, en decussi forma Laurei rami duo, igne fulgentes. De ignitabulo & vellere nihil repeto horum, quæ paullò antè præmissimus. Petere magis lubet, unde ignis cui inimica laurus? conijce in ignem, audies ut crepitet, & aversetur flammam. Ad focum non ad Plinium te mitto. Idem Plinius tamen scribit attritu lauri & Hedere elici ignem. imò & mutuo attritu laureos ramos, micari igne, usu compertum est. quemadmodum & Leonis ossa. Quid hoc naturæ miraculum? de Lauro quæro, in cujus imagine occupati sumus. Vrere vult Laurus, non uri. Et Carolo propositum erat inferre, non ferre vim. quod nec ipse diffitetur, cum in novat superius Symbolum antè ferit quàm flamma micat. Non enim exspectabat, sed præveniebat hostem: non indicebat prius, quàm inferret bellum: & denique telis, non minis, aut litteris pugnabat. Hic ardor Martius Caroli erat, qui in flammam sæpe erupit, coruscans semper antè. Fuit Laurus olim etiam in honore. Nam alibi pacis, Romæ & victoriæ erat insigne. non quod semper vernet: hoc enim ab olea superatur; sed quod fulmine non icitur.

VIII. HIEROGRAPHIA.

Pecten sine dentale, cratis ista, est, dentibus aut stylis ferreis vel ligneis confixa: qua sementem obruunt & occant solo. Huc in expeditione Africana, de qua Frosardus, signavit militare signum Dux Abertus: promittens sibi in bello pio victoriam. videtur enim velle, populare hosticum & omnia æquare solo. Paradinus aliò transfert. Nam ut Demosthenes nequidquam scutum fausto nomine; ita & Bavarus felici omne vexillum. Transfert autem à belli ad pacis studia. iniqua æquat Dentale. & Princeps inquit Paradinus, succrescentes, bonorum injuria, malignos & flagitiosos homines tollere è medio: reliquos æquis legibus, & jure civili æquare inter se potest, atq; sociare. Ad quam, quod Symbolum apprimè quadret, nihil adjiciam. cùm hæc enarratio modestior sit, & dignior Principe. Non enim in constantes viros, cujusmodi principes esse decet, canere triumphum decet antè victoriam.

IX. HIEROGRAPHIA.

Congressos cum Leonibus, Sampsonem, Davidem: quid enim semper testimonia proferam, ex Historia exotica? & herclè si exotica exempla vis, Herculem, Lyfimachum. imò objectos belluis in circo, & evasisse victores accepimus. De Primoribus nostræ pietatis, verba non facio. quibus non soli Leones cessere. sed feræ omnes, imò terra & mare. ipsa, ne dicam natura pæne. Nam pijs nota sunt & trita Divorum monumenta, impijs non probata. Quem hîc statuat superierem Leone Mysta, & mordicus apprehendentem belluam, inter tam diversos, obscurum est, Nihil clarius Symbolo: Iræ modereris & ori. Certè tanta claritas Symboli, ut Hieroglypto lucem afferat. Videtur enim fortior Leonis
domitore

domitore & victore: qui iræ moderatur, aut os saltem refrenarit. Videtur, inquam, iudicio Principis Philosophi, inquit non Principis. Et ego, Philosophorum princeps, inquam, Plato, felices ducit illas civitates, in quibus aut Philosophi regnant, aut Principes philosophantur. Actum enim boni & sapientes viri agunt, nisi idem, à cuius nutu, cæteri dependent, hoc ipsum agat: & factò magis quàm dictò comprobet. Iam si non iniqui sumus rerum æstimatores; non quis. Sed quid dixerit, considerandum est. Nemo autem est, cui non magni est, magni viri auctoritas. Quid de Principe dicam? Qui intra potest, suadet. salutare consilium accipio: cuius mandatum, licet sævum, exequi conor. Satis pro Præceptore semet: quæ varijs alijs, mentem vellicant. Venio ad rhombum. Animæ quot sunt facultates, totidem animalia appingere consueverunt. Sunt autem facultates tres, Ratiocinandi, Irascendi, Concupiscendi. Et Reginæ Ratio: Leoni ira: Simiæ concupiscentia comparatur. Ratio certè cerebrum, veluti regiam tenet. Irarum fremitus, veluti satellitum, si non vis ferarum, circa cor versantur. Sub umbilico cupiditas, fœdior simia, veluti ad eulinam relegatur. Mysta noster, sui similem, hîc, superiorem infami cupiditate, arripit. Nec enim Leo est, in cuius rictum, manus insinuat; sed os hominis procax in contumeliam, quod fanare, & digitis compefcere nititur. etiamsi sanguis bulliret circa cor; & per os, scrutatur; qua via, ad cor pertingat. quam cum interseptam videt faucium angustijs, sententiam, veluti salubre poculum, quasi per infundibulum, infundit. Iræ sit modus. Rationem non adjecit. Legislatoris enim est jubere, non suadere. Et satis rationis est, in modo. Nam quidquid modum excedit perniciosum est. Et quòd corpori evenit, in qualitatibus; hoc evenire animo, necesse est in affectibus. Vtrobique enim ad sanitatem, temperantia requiritur. Sed quæ res, quid modum iræ quærit? & non potius finem statuit? tollit? eradicat? Quod affectus necessarij sunt ad actionem. Nam si cor non moveretur, & quasi impelleretur ad agendum; nihil vanius fuerit, nihil ineptius, nihil ociosius Homine. Non sunt opiniones, ut volebant Stoici, affectus: habent enim suas natura sedes: & in recto usu, Virtus, in pravo Vitium consistit. Ita nobis cum Mysta ferè convenit. Quod autem ori vim, non cordi admoveat; sit cordis magnitudine, quod molliri ratione & oratione vult: & linguæ proterviam, quæ quoties præcurrit, prodit perdit, mentem? se secandam, aut simul cum capite, carnifici præbet? Alibi oratione, hîc vi opus est. Manlius certè Tribunum plebis, ad jusjurandum, non ratione traxit; sed ense stricto, mortem minitans & ostentans coëgit. Moriere si emiseric vocem. Ratione tamen, si, veluti medicina, non sit intempestiva, videtur sanari posse, linguæ præcipitantia. Natura hoc voluit: & ea, dentibus, ut vallo, circumvallavit: superduxit labra. Nil agit. Fert suppetias ars. Augusto familiaris suavit, ut quoties ira incalesceret, aut qua alia vitiositate, puniret lingua; non antè efferret quæ lubido afferebat; quam recitaret, elementa Græca. moram, quæ alibi inutilis, hîc necessaria erumpenti malo quærens. Erasmus qui de lingua non satis temperans

118.

perans calamo, cetera præclare scripsit, elementis Græcis, Orationem Dominicam substituit. Ita non tantum moram querit, sed auxilium invenit ab eo, in cujus potenti manu cor est, & omnia cum corde nostra.

X. HIEROGRAPHIA.

En tibi iterum de Leonibus dicendum: ex quo duos Mysta, oculis subijcit. quorum ille agnum amplectitur, hic verberare regitur, & imperia patitur. Agnosco officium. Non enim idem, duo volunt. Sed cum alter pareat Homini, alter parcat agno; debemus & nos obedire meliori: ignoscere minori. Paret autem Leo Homini, & sensim exuit feritatem; imò repente interdum & sponte Homini se subijcit. ut Plinius exëplis lepidis persuadet lectori Diu: Ambrosius causam quoque investigat. & intuitu naturæ Hominis, cui Deus imperium orbis terræ dedit, evenire arbitrat. Si Leo Hominem agnoscit, cujus potior pars est mens, quam non videt: & quo minus videt, eò magis reveretur; quid nos à reverentia Dei cohibet? qui non solum est melior, sed Optimus & Maximus? Non videmus, non audimus, non tangimus. Hoc ipso spectatior est. Si enim sub sensum caderet; non esset Deus. Si tamen videre lubet; intuere magnitudinem universi, opera manum ejus. Si audire; rituales libros habes. si tangere; nihil habes boni, quod non à Deo accepisti. Parendum igitur Deo in primis est; si meliori. Est autem meliori parendum: quod sic etiam melius sit parenti. ut corpori si pareat animæ: discipulo, si magistro. Secundum Deum, parendum est Magistratui. Non est melior, dixerit aliquis, rerum novarum cupidus. Sed nostrum non est, inquirere, in magistratum. Et si non esset melior; parendum tamen est, Dei, qui instituit, & sine controversia melior est, respectu. Deus autem si non meliorem Magistratum dat, & Barbaro vel Tyranno mancipat civitatem; facit id, quod civitati melior sit & utilior ejusmodi gubernator. facit enim plerunque populo in vitia defluente & aspernante leges. Quod cum facit; servat, quos perdere videtur: Compescit enim animos effrenes, asperiori & digno freno. stupenda plane sapientia. Nam haud solum bonitatis suæ participes facit; verum etiam ex malo alieno (ut Boëthius docet) bonum elicit. Bone Deus, quam es bonus. De uno Leone dictum est. Iam de altero dicam, aut potius, quid alterius exemplo, nobis faciendum est. Huc enim Symbolum refertur: Parcere subjectis & debellare superbos. cum feris, cum hominibus pugnat Leo. Solo terrore primum. cum venatoribus ut vi coactus, non terrore percussus esse videatur. Nec cedit, quam diu patenti campo res geritur. licet canibus & venabulis urgeatur. Ita pulchrius ducit mori, quam cedere. A quo ictus, hunc unum è millibus petit: si absque vulnere. & ipse parcat cruori. Nobis inlacesitus parcat. Fames si ad infandas dapes cogit, antè in viros, quam foeminas fremit. postremò in infantes, fame, quasi furore, à generositate sua diductus. An agnè parcat, nescio. Castellum simul educatum memini; sed ut cum potentiori periculosa familiaritas,

liaritas, tandem discerpisse. Concedamus Mystræ, agno parcere. Nam & officiosum mendacium, viro bono permissum est. Docemur hujus imitatione, parcere debiliori. Sed dicit aliquis P. Virgilium, à quo mutuatus Princeps Symbolum, Principis orbis terrarum populi officium; non nostrum exposuisse: sic enim inquit Anchises apud Virgilium. lib. 6. Aeneid. sub finem.

Excudent alij spirantia mollius æra:

Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,

Orabunt causas melius, celiq; meatus

Discribent radio, & surgentia sidera dicent.

Tu regere imperio populos Romane memento,

Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere moram,

Parcere subjectis & debellare superbos.

Cedo. & concedo aliud esse officium viri Principis & privati. Multa enim hos tollunt, quæ istos deprimunt. Ac ut nemo ferret privatum, qui ferret sceptrum; sic nec Apelles ferebat Alexandrum, in suo ergalio regnare. Sed in exercitio virtutis, commune certamen, omnibus est. imò si volumus Deum nobis ignoscere; vult ut consortibus generis ignoscamus. Et nobis non tantum dedit præcepta salubria; verùm etiam exempla reliquit efficaciora. Nec bonus Princeps aliud vult, quam cives sui simillimos. non potestate, at probitate: Illius enim nullum est commercium: hujus verò mutuum consortium. Ita dictum sit de Leonibus, paulò uberius. Sed res poscebat verba.

XI. HIEROGRAPHIA.

Si nulla foret Hierographiæ doctrinæ utilitas, quæ summa est: ut non ego sed res ipsa demonstrat. quemadmodum jam diu mecum, quivis & intelligit & colligit; summa tamen voluptas est, tot principum, non solum instituta; sed & arcana. Quod enim cuique animo propositum est maximè; hoc cum evulgare, turpe semper sit, nonnumquam periculosum quoq; ita exponit; ut non minus tacitum sit, quàm dictum. Nam in interpretatione, semper est effugium. Quid ergò nos interpretamur? quia affectus ponimus, qui Menti maxima caligo sunt: & adjuvamus, successu atque eventis rerum. personarumque citra metum aut assentationum, intuitu. Et hanc voluptatem, magis voluptem facit varietas. Quemadmodum igitur alia atque alia scenam, non personæ tantum delectant; ita imaginum & sententiarum diversitas, fastidium levant. Hoc simiarum causa dico, quarum altera, periculum effugit: altera propinqua arbori & saluti est. Nam aut assentando, aut gyrando videtur ex Lycnis unguibus & faucibus sese explicatura. Ita in omnes artes se vertit simia. Ut similitudinis nos pudere non debeat. Fabula est, vulpeculæ narranti & jactanti tethnas suas, felim respondisse: etiamsi ex doctis confuta sis tota, una tamen solertia, quæ his omnibus præstat, te supero. Qua verò? dum quærit illa; en venator, & canes, dicto citius circumdant vulpeculam, cato in proximam arborem, veluti ad asylum, perfugi-

perfugiente. Nec in fabulis nec in historijs fortè Lynceus venari simias qui captant simias, Orfos in India Plinius, Strabo Prasios nominat. Iam hoc ab omnibus naturæ investigatoribus concessum, à Leone appeti, in ægritudine, remedij causa. Natura ipsam pavere testudinem ut Erasmus, limacem ut Gesnerus, crocodilum. Sed sive Lynceus, sive cui alteri hosti potentiori illudit, intelligimus, quid Princeps velit. vult enim vim virtutè superari. Ad cuius sententiæ probationem pertinet, quod Catus in Aegypto simias venetur, mamonetum puta. Cercopithecum vocant. Nam astutia simias, teste Isidoro, vincit. Idem de Pardali testatur Aelianus. mortem enim simulat, ut alliciat simias. Vnde Pardi somnium. ita enim & Panthera appellatur. tecta etiam pelle candida, & macularum notis pulchrè distincta. gratissimum spirans odorem. cuius illecebris, ut fere, quod volupe, dolosum est, non solas simias illaqueat. Hujus & simiæ concinnius fuerat duellum. similitudine vestis, deceptus Princeps, Lynceum pro Panthera cum, simijs commisit. Et foret jucundius spectaculum: ubi alter, alterum ingenio superat. Sed propositum fuit, in belluarum certamine, quantum solertia corpulentia præstet, declarare. imò virtus ut loquitur, violentia. Poterat comparatione Regum, sui & prisca temporis. sed minori invidia animantium ferarum. & Hierographi rarè Homines hominibus proponunt. Quod planè non liceat, ut vulgo volunt, id refellimus his libris, quos de Hierographia scripsimus.

XII. HIEROGRAPHIA.


Multum hic Princeps tribuit virtuti, & non injuria tribuit. Aut enim virtus à viro: aut viri, quibus Princeps imperat à virtute. & certè, nisi ut potestate, ita virtute, parentes antecellat, debile imperium est. Aut enim parentes abnuunt, aut metuunt imperium. quorum utrum perniciosius sit; non facile dixerim. Hoc prudentes viri putant, nihil tutius ad diuturnitatem, benevolentia: metum supra contemptum non esse: esse utrumque; capitalem Magistratui. accelerare ruinam, hunc magis. Est igitur causæ fati, cur virtuti suam tribuat. Nam si nihil esset, in vel è virtute commodi; fati est quod deceat virum. imò virum principem, decori. Cùm autem sola imperium non modò cohonestet; sed & contineat: meritò Princeps, virtutis encomium repetit. Possèt enim aliquis virtutem laudare quidem; sed in alios intuens, aut potentiores, aut feliciores, rem laudabilem flocci facere: & quærere alia principatus, aut regni præsidia. amplos fines, immensas opes. Cùm autem idem Symbolum: vincit vim virtus) alia similitudine stabiliat; Laurum enim digito ostentat, quam nec fulgur tangat, quam nec tempestas deformat, quam nec hyems defloret; ifagoge convincit, nec principi, nec privato viro, bono, à potentiori viribus, aut opibus, quidquam esse metuendum. En, ut vernet, nec ipsa percussa, nec folia decussa. Quæ erant loco congrua, suo loco, de lauro collegimus. Ex hoc habitu arboris, hinc colligimus. non omnia in viribus consistere; at sua cuiusque virtute, sive animantis sive stirpis. Nec fidet secundum Dei auxilium, quod omni in re, in primis necessarium est, vir virtuti? colamus modò virtutem, & tanti boni semina excolamus. Non est, nō est, o viri. quod paveamus temporis, aut timeamus hominum injurias. Tantum præsidij est in solida virtute: & mente à vitijs repurgata.

Duces et Principes S. Romani Imperij
Guilhelmus III. Dux utriusque Bauaric Comes
Palatinus Rheni



Renata Lotharingia Ducis
Bauaric Guilhelmi III uxor

Maximilianus utriusque Bauaric Dux
Comes Palatinus Rheni Eques Aur Vell



Ferdinandus utriusque Bauaric Dux
Comes Palatinus Rheni

Otto et Philippus Comites Palatini
Rheni Bauaric Duces



XIII. HIEROGRAPHIA.

P. Ovidius, duas Arctos esse tradit: quarum altera, urſa minor quin & Phænice appellatur, quod à Phænicibus obſervata primùm ut Aratus tradit: altera verò Helice, à Græcis notata. Ad has curſum olim Nautæ direxerunt. Quid ſi celum interdiu nubilū? aut noctu obſcurum? Amalſitani igitur, majori cum laude ſua, & utilitate omnium, Magnetis uſum invenere, & incluſere Helicen in puppi. Pyxis nautica in puppi eſt, ad quam, veluti ad normam, gubernator navim regit. Gnomon enim Urſam majorem commonſtrat, magnete tinctus, aut tactus, nec ante con- quieſcit. Scio polum Mundi, à polo Magnetis differre: nec ubique eun- dem eſſe uſum Magnetis; ſed hîc nihil horum tradimus, ſed tranſimus ad Hierographiam, ut deliſſe ſuffecerit. Miratur Pachimerius, πῶς συμ- ὑπαθῆ μαγνήτις τῶν ἡμελίκων ἄστρον. Et eſt admiratione dignum; ſed al- terius loci & majoris ingenij conſideratio eſt. Nos Minoris urſæ cauſſa, de majori diximus, & huc ſermonis tractu, ut ſit, huc delapſi ſumus. Ad rem revertamur. Cynofura duce, obdurandum inquit, aut gubernator navis, aut Reip. Nam in conſpectu navis eſt. & ut navis Reſp. diverſis, ut procellis illa, motibus agitur. Cynofuram ipſe, una ſtella exhibet, quanquam ſint ſtelle ſeptem unius ſyderis. Hoc dictum ſit ne ignore- tur, non quod ad rem multum pertineat. Illud verò ad Myſticam tradi- tionem inquirendum, ſi ut Cynofura duce ferendum, quidquid mari eve- nire poſſit incommodi, ſpe commodi; ita Deo duce, quem haud dubie, ut aſtrorum conditorem & rectorem intelligit, ferendum quidquid con- ditio humana aſſert incommodi, ſpe beatitatis ſempiternæ? Eſt enim hæc vita, plena miſeriarum, quam ſi non alia, melior, felicior, diuturnior, imò æterna vita exciperet; homine miſero & mortali, quid eſſet inter mor- tales miſerius? Extra omnem controverſiam Princeps, conſortes generis omnes, ſecum complectitur, & benè promerendi ſtudio, ad conſtantiam excitat, atque ad perſeverandum cohortatur. At ſui ſimilis inprimis, Principes. Nam non eſt nova, at perpetua, jam ab Heroibus recepta com- paratio gubernatoris Reip. cum gubernatore navigij. Et hercle Reſp. ve- luti navis, qua vehimur in hac vita procelloſa, gubernante Magiſtratu, qui præ ceteris Conſtantiæ admonendus eſt, ut cujus motu & cives, & ci- vitas, quemadmodum Navis & vectores, regimine gubernatoris; ut nobis conſtet, quid ſequamur, quid evitemus. Sunt enim, ut in mari, vada & ſco- puli, interna: & externa mala, tempeſtates ac piratæ; ita & in Rep. factio- nes internæ, & externæ, non ita tamen mala, impreſſiones hoſtium. Et ſi focij navales ac vectores, gubernatori obediunt: imò malis ipſi cognitæ ſponte occurrunt; haud aliter cives decet; & imperata Magiſtratus facere, & quandoq; antevertere ſtudio, diligentia & amore ſalutis publicæ.

XIV. HIEROGRAPHIA.

Habemus hîc, quod mens horreat atq; averſetur omen, Mundum, cui mare dehifcit: aut ſi quæ unda, Oceano major eſt. Mare enim à terra ſe- paratum non eſt, quod natura terram abiret, ſed reſecta mari ad ani- mantium ſedem, & hominis imperium. Globi, inquam, duo, in unum, coãliti. Extra Globum verò, Hippodromum aut Catadromum, quod æ- què abſurdum eſt. Non enim in aëre, aut decurritur, aut decertatur equis.

Iam

Iam nec in stadio, ne, ullo curriculo, medium Meta tenet; sed ipsa hoc, ut alterum extremorum | Carceres. Hic in medio est Meta, Pyramis excelsior. si non hæc Pyramis, est palus, de quo bravium, ad concitandos animos, ostenditur. Hic profectò, cœlitus, ultra nubes scilicet, Lauream coronam Palmæ Rami, decussi forma incerti, sustinent. Erunt igitur fores ante obeliscos tres, Carceres: ex adverso, totidem obelisci Meta. Quid igitur Eques fertur concitato equo ad Carceres à Meta? ἀνὰ πῶτα μὲν quod ajunt? Quemadmodum enim secundo flumine facilius labitur carinata à carceribus ad metam decurrere, festivius est. Et hoc est, quod Mysta inquit, cum ait: Agnosce, dole, emenda. quasi, inquires, illum fatiget, juvenet ardor, vel furor. Si ludicro certamine delectetur, nescio: hoc ipse nec tu ignoras. seria semper, jocosa aut jucunda imagine tegi, à Mystis. Et si furor est, non est recens, Heroibus receptus, Argonautæ enim certarunt in Lemno, ut Apollonius Rhodius tradit: Commilitones Achillis, in funere Patrocli: Aeneæ socij in paternis exequijs. fabulosa sunt. Historica est Olympias, & ludi Græcorum alibi etiam & aliàs exhibere soliti. Parum quidam virilis. At hercle Martij Romanorū, in campo Martio. Non sanguinolenti. Gladiatorij ludi, plusq̄ sanguinolenti erant. Erant servorū. Liberiorū erant apud Gallos. quorum patria aliquot descendens de Alpibus, exhibuit Annibali captivi erant. Sed & Reguli anteq̄ ascenderet Alpes, de regno certarūt. In duellū corā Scipione in Hispania & Principes venerūt. Augustus quoque Trojæ lusum vel agmen reducere conatus est. Ita bellicosas gentibus, semper placuit, in arena prius exercere virtutem, quàm in acie. Et certè quod joco didiceris; meliùs seriò feceris. Hæc vindicandi ab opprobrio, vetustissimi instituti causa, quod Imperatores Germani, legibus quibusdam finierunt, postquam privati duello ceperunt, ut Principes bello, litem dirimere, uberius produxi. Ardor enim est generosi impatientisq; indignitatis animi, non furor: si vel justiciæ defendendæ, vel virtutis exercende gratia, arma summitur. Sed furor sit, postquam in conventu omnium Christianorum, Pont. Max. abrogavit. non illud virtutis præludium; sed vindictæ privatæ studium; quid animo occurreret Principi, quæris, cum retrogrado gradu Equitem facit currere in Hippodromo. ludit in ludicro certamine, & illudit vanitati horum, qui de re nihili inter se certant: cum globi terrestris dimidium, non mare, sed mari sævior Turca hauserit panè atq; abliguririt. Sunt offensæ. at quæ aut Reip. erant, aut Christo saltem condonandæ. Si populus Romanus, potuit exorare Pompeium & Crassum; ut in gratiam redirent Reip. causa; non permittemus, si hosti ignoscere hosti non possumus, vindictam Deo? Cretenses seditiosi natura, adversus hostem externum cõibant omnes. positis tantisper, quæ finire non possent, odijs atq; simultatibus. Nos cum Turca conspiramus: & à Meta, vindictæ privatæ studio, ad carceres, jugum Barbarorum, verè carceres, læti decurrimus. O nos miseros, licet o-vantes? imò toto terrarū orbe, & mari simul amisso, nescio quod studium imaginemur, quod nusq̄ nisi in terra est: nescio quod premium nobis promittamus. quod omne à celo dependet. & non hoc, sed legitimo certamine petitur. Hoc mihi videtur, si quid aliud Lynceus aliquis viderit; ego, qui cecutio, nō refragabor Mihi profectò subscribit Princeps, in Symbolo? Quid enim est? Agnosco. Non aliud, quàm cognosce errorē tuum, quisquis es,

tam alieno à Rep. à tua, animo. Quid Dole? Dole aut tuam aut alienam amentiam? Nec aliud est: Emenda, quam muta studia & consilia, in melius. Hæc sunt, quæ Princeps dicit. An cum nostra sententia congruant, aliorum esto iudicium.

XV. HIEROGRAPHIA.

Insignia Mystas signant. Corona Laurea triumphantes decuit. quod in Parnasso uberrimè proveniat, & Apollini sacra. Ex cujus oraculo, principium libertatis p. Romani. quod Brutus rectè interpretatus, genitrici omnium telluri osculum dedit: & arrepta occasione, ex stupro Lucretiæ, extorres patria, Tarquinos egit. Boni ominis causa retinuerunt Principes, averse licet à libertate. non in triumpho tantum. Sed & in vestibulo. Ante fores enim excubasse & Cæsarem & Pontificum, auctor est Plinius. Quod igitur hæc signat insignia, quæ superliminaria visuntur, non in solis Principum edibus, nihil est insoliti, aut novi. Lothoringa cinxit peculiari de causa. Nupta enim Bavaro, in connubio constantem & perpetuum amorem optat. imò & floridum, vernantem, semper sui, ut laurus, similem. Quod votum non tam Lauro celat; ut Symbolo intonat: cor unum & anima una. Sunt foeminae omnes, natura loquaciores: ut & viri futiles, senesque rustici. ne miremur principem foeminam, longè aliam à numero, & extra numerum, in amore qui per se, ut Laurus crepitat, non jactabundam, sed exultantem. Quod qui damnat, omnium calculis damnaretur, si quid sancti juris, humani aut divini est. Non enim hic est impurus, sed geminus amor. sine quo, unius ætatis foret res humana: aut nos omnes spurij, ferarum more geniti, & genituri successores. Ponunt voluptarij in vaga libidine voluptatem: & proponunt incommoda Matrimonij. Sed quæ voluptas, quam poenitere sequitur? quæ incommoda, quæ molestia non levant, commoda uxor? & in quibus renascimur, nati atque adolescentes, tanta cum suavitate Liberi? Vxor molesta. Non omnis. & si quæ, in potestate tua est. ferae domantur leniri & virago potest. Si vitium tolli nequit; quit ferri. Quid si sterilis? foecunda tu virtute. si liberi degenerent; id cave recta institutione. Quid si bonam spem mors intercipiat? Molestus ipse es, in exaggerandis molestijs Matrimonij. Quid si celum rueret? In terris versamur, non in celis. Ergò nobis excedendum è terra? Ineptus, non solum molestus es. Si sine illis esse possemus; quibus carere non possumus; nescio an esse vellemus. ita quas non debemus; volumus. & morbo aut probro contaminus nos: sus verò non sua quemque uxor expilat, exhaurit, exinanit. cum opibus, tum viribus. Quod si uxor etiam, tui prodigalior sit, tua est. licet non probem, nec probam deceat. Ut enim viri est coacervare; ita uxoris custodire.

XVI. HIEROGRAPHIA.

Eadem sententia, non ejusdem Mystæ. Dignus enim matre filius, eodem animo est, in Matrimonio, re eadè. In eodè calice, par turturum, sub eodem signo crucis, statuit: & eadem pluvia perfluit, aut ejusdem radijs lustrat. Quem calicè binæ dextræ conjunctæ sustinent. Et scribit, sive adscribit
Aeternæ

Aeternæ concordia. Turtures fidos amantes referunt: calix ritu Christiano convenisse testatur: Crux radijs clara, in omnem fortunæ casum consensisse demonstrat. Aerumnæ enim crux est: splendor verò, quæ sub cruce beatas Manus conjungere, est alibi in foedus, alibi in amicitiam, alibi in contractum alium; hîc in matrimonij leges coire. Animadvertis, ut, quod à matre suxit, Princeps Bavarus expressit. Quod non absque causâ adjicio. Isocrates enim putat, Principes debere parentibus, non ita in potestatem, quæ fortunæ est; ut in virtutem, quæ longè spectatior, & illam aut dat aut corroborat, succedere.

XVII. HIEROGRAPHIA.

Quæ hîc Delphinum equitat? Deane? aut mortalis virgo? Nuditas, nec virginem nec pudicam vult. Exuit n. scemina cum beste pudicitiam. Sed ab opprobrio vindicat libra, insigne præsidis, æqui & boni, Astræe. Nam ut sua Magistratus habet, quò spectatior sit insignia; ita Dîj, Deæque apud Poëtas. Præripiant inter Mortalis, alij alij honores. quæ res nostras sæpe quatit: & tandem, ut vereor, multumque equidem vereor, ex cardine excussa evellet. Inter Deos, non est fraudi, non est simulationi locus. Quæ itaque Veneres dedecet; decet Astream nuditas. Est enim Astræa, Iusticia: quæ regi non vult, quod sub latebris plerumque latet aliquid, si non deforme, turpe, obscænum; plurimum iniqui, impij: nihil sinceri, fucati multum boni. Qua de causâ Athenienses, nervos oratoriæ facultatis, ad fallendum comparatæ, Præmium & Epilogum inciderunt: Lacones, nullam partem orationis admiserunt. Et nostri non tam propter barbariem: nemo enim inter suos barbarus est; quàm propter justitiam, Iurisconsultos oratoribus subrogarunt. Sed hominum malitia, Iusticiæ præsidia, sacrosanctis legibus, si tamen hæc semper sunt sacrosanctæ, Iusticiam oppugnat. Cessent querelæ. Iustitia nuda, fruendi libidinem, habendi cupiditatem, potiundi furorem extinguit. ita; ut nihil sic avertentur voluptarij, avari ambitiosi. Omnes enim hi, latibula scelerum, cupiditatum perfugia, & clandestinos de honore, quem non merentur, conventus quærunt. satis operta, quæ sic defensa Astræa est. Nunc alia dubitatio angit de plebe aliquem. id est, qui plebeio & agresti iudicio legit Historiam: Pueros legi (complures numerat Plinius) quos adamarunt, & reconditit veluti vagina, cultellis, tergo exceperunt, vexeruntque quò illi vellent. imò desiderio mortuos vita defunctorum. Nunquam sceminas, & causâ in promptu est. Omnes, quos de navi deturbavit Bacchus, & in Delphinos transierunt, viri erant. lege Lucianum. sive igitur pertæsi muliebris consortij, sive appetentiores novæ consuetudinis sceminas non amant, non recipiunt, non vehunt. Qui ergò Astræam? Quod Dea sit, Dn. Magister. Non est verum, si dicet Magister; quid respondebis. Quod æquum est, tu mentiris. Non intelligis, quæ legis. Fabula est, involucrum veritatis. Fingitur Iustitia à Poëtis Dea, ut vel hoc nomine auctoritatem retineat, a pud Mortales. & est profectò divina, ac norma Aevitatis Divinæ. Quod autem Delphinum conscenderit; fugientis est. Mirum enim ut gressum ille acceleret. Quos fugit Dea? sui contemptores, Homines impios & injustos.

Quò tendit? Peregrè, si quos forte, his nostris vitijs impollutos repererit. At Poëtæ scribunt, jam dudum terris excessisse & recepisse se in celum. si fingere hoc Poëtis licuit: nunquã enim à celo abfuit, aut quo posset celi, quo moventur stare duplici motu? Harmonia est, quæ in compagine, etiam in statione celi. Licet & Principi Bavariæ, vera de Iusticia comminisci. Certum enim est, & in vicissitudine rerum humanarum diligenter observatum, quod Siracides scribit: Regna de gente, ad gentem transferri, propter Iusticiam. Ita, ut fabulosè scribit Hesiodus, fatigat quærimonijs & supplicij Iovem. Sed audiamus valedicentem nobis: Cognosce, elige, matura. Quid cognoscam virgo? Me esse incorruptam. Quid eligam? Quod cernis præponderare justum injusto. Quid maturem? ne momentaneo peccato, æterna poena te obliges. Hæc publicè omnibus: privatim dicta singulis puta.

XVIII. HIEROGRAPHIA.

Coram Deo & hominibus, fratrum concordia. Magnifica verò vox, & Principum dignitate digna. imò conditioni tam periculosè quàm optatæ alijs, necessaria. non vox, sed quod voce expressum est. Plures enim loquuntur, quàm meditantur concordiam. Qui autem aliud sentiunt, ac loquuntur; nã sibi, ipsi malum accersunt. Nam etiamsi adipiscantur, quod maximè volunt; se alterum necat, qui fratrem aut propinquum, regnandi causã necat: & se ipse, perenni ignominia maculat, ne dicam, horribili exitio implicat. Aut enim non fert impunè tantum scelus: aut in posteros derivatur vindicta. Id Tyranni curant, scilicet. Sed curat Deus. violenta igitur morte Romulus perit, qui fratrem occiderat: & Cresus proavi flagitium luit, qui dominum interemerat. ne quis sibi licere in alios putet, quod in suos etiam natura sibi videt interdictum. Miraculo igitur in Hispania fuit olim trium fratrum in principatu concordia, ut fabulæ tres in unum contraherent, qui tricorpor habitus & creditus à posteris est. ea potètia, quæ ab Hercule, id est Deo. nõ homine dissoluta sit. Et medius fidius, ut discordia, omnia labefactat; ita è diverso, concordia, tenues etiam opes colligit & facit invictas. Sed Tyrannis, uti dicebas, nec curat pœnam, nec admittit præcepta. Nam & nostra ætas, fratrum, in eodem regno, discordia meminit, & defectionis populorum à suo Magistratu. Et in ipsa Hispania, in regno Gothorum, perpetuæ fuerunt laniantium Principum, antequam tota Hispania, unius subiret imperium. Ita est. At quo plura sunt discordia exempla & mala; eò laudabilior & salubrior est, quorumcunque est, Principum concordia. Nostri Mystæ testantur Deum: nec quos poterant fallere, homines solos, conjunctissimorum animorum testes producant. Nequidquam sua hominibus probare nititur; qui se non potest probare Deo. Animorum igitur arcana relinquamus Deo, qui falli non potest, nec debet: & speculemur nos, quæ concordiaë dedicarunt fratres: ac qua imagine, consentientem voluntatem nobis declararunt. Primum habemus insignia, quæ quod eadem sint agnatis; admonent ejusdem originis, sanguinis & qui hinc merito flueret, mutui amoris. Deinde quod hæc necessitudo fallat plerumque ad scutum adjungunt unam eandemque Panopliam. En, si non Cudo, Galea

Galea coronata, cum Cono, in quo Leones, & alia terriculamenta; cancellis bucula. Inter Galeam & Clypeum, Lorica: aut thorax ferreus non Pectorale tantum. Nostri enim milites non credunt Statio, nullum esse à tergo metum. Sed quid Panoplia una ad unionem animorum? Quod mutua defensio, ut tritum est sermone hominum, sit tutissima. Non hercle inopia Principum, qui ferramentorum, & armorum curam imprimis habent; sed copia amoris est. Planè igitur, ut Phorcidas Poëta fingunt, uno oculo & dente, plures cum essent, uti; ita germani isti fratres, unam Panopliam pingunt. Sed munimentum, hinc video, dicit aliquis, unum, quemadmodum istic unum oculum: Dentem verò hinc, id est, arma, nullum. Sed ignoscamus Plaste. Minimè vero, inquam ego. Cognoscamus potius diversitatis causam: nulla enim illius culpa; sed Principum summa æquitas: quibus propositum erat sese mutuò defendere: decretum offendere neminem. Ita non in se tantum justis; sed nec in ullum injuriis sunt, aut videri volunt.

ss

Duces et Principes Sacri Rom Imp

Joannes Casimirus Comes Palatinus
Rheni. Bauarig Dux

Wolfgangus Comes Palatinus
Rheni Bauarig Dux



Joannes Georgius Comes Palat.
Rheni. Bauar. D. Co. Velabris.

Ricardus Comes Palatinus Rheni
Bauarig Dux



Antonius Dux Lotharingie Comes
Richemontis etc

Goffridus Bullonensis Lotharingie
Dux. Videmontis Comes.



XIX. HIEROGRAPHIA.

Casus mirus Casimire, si constanter & sincere agimus: in te non in-
 quiro. Nam vulgo constantiores sunt in malo, quàm sinceri in bono.
 Iam in malo pertinacia est, non constantia, si suis quæque nominibus
 distinguere & notare notis volumus. Et sinceritas in malis nec est, nec
 esse potest. Principum altior mens est, eà te à multitudine fecerno. i-
 deoque in annulo, cujus palam adamas: oppositum veluti punctum,
 geminæ dextræ claudunt, insignia tua gentilia, quæ decussa forma di-
 vidunt palma & laurus. imò quid velis video, vis enim familiæ benè o-
 minari, pace & bello: ac simul omnibus patefacere, tuam in educando
 nepote aut filio ex fratre, fidem constantem, & sinceram constantiam.
 Tenè facis. quanquam enim amplissimum testimonium sit rectè & facti
 & dec. et, mens sibi rectè conscia; interest tamen Reip., ut at te nihil per-
 tineat laus tua, habere principes, tantæ fidei, cum principatus esset, perfi-
 diæ præmium, verum, integrum, & late resonans. exemplum. Nec enim
 in Macedonia Archelaus propinquis: nec in Insubria, Io. Galacio pa-
 truus pepercit. & Principes nisi boni, quorum exitus horrent; horum fa-
 cta avidè consecretantur. Tantò pollentior est spes præsentis boni, quàm
 metus absentis mali, aut secururæ pœnæ. Ita nomini tuo consulo, se-
 cundum fata tua; qui meam æquitatem, in gratiam fratris mei, Carolo
 duci Sueciæ, commendasti. quanquam genuina sit hæc Hierographiæ
 tuæ, non adulterata, interpretatio. Nam adamas constantiam, dextra-
 rum nodus, sinceritatem, cujusvis iudicio, significant. Nihil igitur
 gratiæ tribuo, sed omnia veritati: & ut tibi non assentior; ita conabar
 explicare, quod tu sentires.

XX. HIEROGRAPHIA.

Iusta, inquit Princeps, Tyrannorum punitio. & justè inquit. Quid
 enim gravius in eum statui aut dici potest? qui quarum custos & mini-
 ster est, leges aut instituta præclara violat? qui quorum caput est, artus
 suos, cives lacerat? qui denique, nulli parcit, in se, in sanguinem, in visce-
 ra sua audet infanda? Sed plebs hæc solet dicere, cujus libertati tyrannis
 adversatur: & Tyrannoctonis præmia statuere, statuas erigere. imò quos
 Tyranno aut cæso aut fugato subrogat. Cæterum si hoc agit plebs, cui
 ut agno adversus lupum, innatum est odium, metus, fuga, abominatio
 Tyrannidis, & dicit non absque gloria; quanta laus Principis, quæ po-
 testatem gravant invidia, execrantis, detestantisque vitia potestatis? Nam
 Regem novi ego, non ita olim vita functum: apud quem, capitale erat,
 non ipsi tantum maledicere; sed dicere, quid à Tyrannis & de Tyrannis
 factum Historia referret. Certè illius, qui omnia ferè, laude digna ges-
 sit, nihil ferè laudabilius; quàm cum de more, daret ensem Præfectò Præ-
 torij, hæc sit effatus: si meruero pro me, aut contra me. Ita Mystæ en-
 comium ex diversa comparatione resultat clarius. Sed quò pacto scri-
 ptura Mystica, cum pictura convenit? Hoc tu videris. vides enim luctam
 Draconis, cum Elephante. Natura inter hos jecit discordiarum semina.
 ut ostendat nihil esse tam vastum corpore, aut validum robore: cui non
 aliud

aliud vel corporis agilitate, vel animi solertia ad versetur. Hic præter gloriam, & lucrum, ut fit, Draconem stimulat, feruens scilicet æstu, frigidissimum sanguinem Elephantis appetit. Hinc ex arboribus, ex ripis, insidiatur validiori. atque ex improvise correptum, lethali cingit cauda: & in ipsa nare caput condit; præcluditque spiritum (sequor Plinium) non speste Pictorem. Draco tantus est, ut totum sanguinem capiat. Hæc aviditas igitur, ipsi draconi etiam perniciem affert. ut alibi quoque alijs immoderatio. Nam Elephas moribundus cadit, & draconem ebrium obruit, moleque corporis elidit. Atque hinc est Græcis Milton, nobis Minium (Galenus & Dioscorides Cinnabari, neutro genere appellant) vel potius, ipse sanguis elisi Draconis: aut permistus utriusque animalis. Quid hæc picta, ad sententiam scriptam? Plurimum mehercle, Nam duæ feræ, simul cadunt: & quod iustissimum est, duo feri homines mutuis vulneribus occidunt. Eteocles in fabulis & Polynices In historia, & quidem ex oraculo, Philippus Macedo, victis non diu supervixit. Sine oraculo Cæsar non longo tempore superstes fuit Pompeio. Hoc unum me angit, quod Elephante nihil humanius, nihil mitius, nihil indignius, ut cum dracone ne dum Tyranno comparetur. Quotquot enim de Elephante scribunt; ea afferunt, quæ etiam nobis, & Principibus nostris allatura gloriam forent. Serpentes inter se, aut quas alias feras velim inter se commissas. Nam nec vastitas Elephantem efferat: nec Tyrannum potentia, at impotens sui animus facit. Elephantem nostra ætas & Belgium vidit, quem Rex Hispaniarum Philippus II. Imp. Maximiliano II. misit dono.

XXI. HIEROGRAPHIA.

Quacunque tandem forma, qui hoc loco & lucet & fumat; Lychnus est, & quidem, stabilis, uti videre est: sunt enim & pensiles Lychni, arborum instar, ut hæ floribus, illi relucentes lucernis. Candelabra vocant Latini. Etenim labra candelæ sunt. alveus scilicet cum margine, fomenti ignis. Non me fallit lampadem Græcè etiam nominari. Sed & pro face Pub. Vurgilius usurpat. & candela non id modò est, quod est & dicitur; verùm etiam quod candeat, quævis lucerna. planè, ut $\lambda\upsilon\chi\upsilon\varsigma$ Græcè $\pi\epsilon\iota\alpha\ \tau\omicron\ \lambda\upsilon\chi\upsilon\varsigma\ \tau\omicron\ \nu\chi\omicron$. Porro si antiquior est alveus, an scapus, non facile dixerim. Video Vlissem apud Homerum, quasi de trulla ferrea ligni segmenta incendere. Secamenta ejusmodi sunt Homero $\sigma\chi\iota\delta\iota\alpha$. & fiunt ex sicca arundine, sed præcipue ex picci generis arboribus, cujusmodi sunt, teda, larix. Ita ante utrumque videtur aliud fuisse, quod igni Vesta consecrarit. Nam ne deflueret oleum, labro opus: ut clariùs luceret candela vel sebacea vel cerea, candelabro est. Hujus superficiem Aegina, scapos Tarentum elaboravit. ut Plinius scribit. Quorsum hæc tam altè repèta? Et quædam non omnibus probata fortè? Iam jam intelliges. Cleissippus fullo, à Geganea accepit, gibbere, & alio fœdus aspectu, candelabrum immensi pretij, æreum, in quo superaret materiam opus veluti arrham impuri amoris accepit. Ex fumo autem hujus candelabri, in lucem erupit, impotentia libidinis. quàm dùm Cleissippus, vult inducere, Geganeæ sepulchrum nobile construxit. per quod non exstaret gratitudi-

gratitudinis suæ) sed æterna super terras, ut ait Plinius, utriusque dedecoris, memoria duraret. Hoc quod vel legisset, vel audisset Princeps, cavet: ne quis in flagitio jactet: aut malum malo curet. Nihil enim aliud consequitur impudens excusatio, aut imprudens purgatio; quàm quod fomitem probri, senescentem tempore, & fumantem modò, suscitet, hominum linguas acuat; & odium contemptum infamiam inflammet. Si in re ipsa nobis convenit; de verbis parùm laboro. Sit igitur Lampas, si vis, voluit stabilem esse Mysta; ut meliùs te, velut in speculo contemplere. Quemadmodum enim stupeus ille; vel Xylinus funiculus (ellyphnium Plinius vocat) in oleo natat: & nisi emungas ac subleves; mergitur, extinguatur, moritur ante diem; haud aliter nobiscum agitur. & nisi marcescentis animi virtutes excitemus, à vitiositate repurgemus; in corporis voraginem immergimur, & vitam vivimus belluinam, quàm frustra celamus. Tempus enim omnia ex solitudine, veluti ex caligine eruit, & collocat in luce, Cæterum Ellyphnium, ut vox ipsa indicat, non fuit semper, ex gossipio, aut qua stuppa; sed ex lychnide: & verbasco alijsq; tomentosiss herbis, ut Matthiolus ariolatur. Est autem Lychnis, ut scribit Dioscorides, non igniaria solùm; sed & coronaria, floræ albæ violæ simili, sed purpureo. expeti à virginibus ad corollas scribit Matthiolus. quod quàm scribit, supericri nostræ sententiæ subscribit. Nam quàm volunt impudicitiam floribus tegi nonnullæ veluti fumo; hanc in luce ponunt irritatæ hominũ linguæ, offensa oculorum. Quid opus est verbis? semper flamma fumo proxima est, ut ait Plautus. quod tanto applausu ait, ut in proverbium abierit: significat enim lepida similitudine, malum in tempore evitandum. Non posse melius evitari, Erasmus adijcit; quam si evitetur occasio.

XXII. HIEROGRAPHIA.

Quemadmodum fabri fabricando; ita nos tractando Hierographiam, Hierographi simus. Taceo de Symbolo, quod jam lippis & tonsoribus notum est; ipsum Hieroglypton, suo quisque Marte, enodarit. qui modò in memoriam revocet, quæ hastenùs memoriæ mandavimus. Nam Principis insignia, non jam primùm, annulus, cujus pala adamante lucescit ambit. Et ante visi, intra orbem rami Palmæ & Lauri. Spem enim concipit de æternitate stirpis, quod valde Principibus familiare est: dùm insignia generis, in insigni perennitatis collocat. Item de gloria. cùm in pala animum magis, quam lapillum, indomitum locat. Quin & de victoria, quæ lauro signatur: & placabilitate. quæ Palmæ est, indicis justiciæ. De hac spe, ne desperet posteritas; Symbolo, veluti aculeo instigat: In via virtuti nulla est. Habemus emulos virtutis, invidos potestatis. Video, prævideo. Quò plures invidos; eò simus ad rem nostram attentiores. Quò plures æmulos; eò in virtutem incumbamus diligentius. Rectè, sed tu videris nos ad majora impellere. quod non tantùm justè diligentia, sed & majoris audaciæ fuerit. Ita est, ait. At virtuti via, nulla est via. Deo præsertim auspice & auctore. Maçte isto animo ac sententia Princeps. Nihil enim videris injusti vel affectare, vel concupiscere. Si Deum proponis tibi & posteris ducem. Nam stolidi de se suisq; opinio, multarum sepe & gravium erumnarũ origo & causa existat. Nec obstant quæ protestant exempla.

exempla. Etenim non licuit Cæsari Borgiæ; quod Iulio Cæsari licuit. Benè precari tuis, per nos etiam tibi licet. Sed quidquid ortum est; hæcenus occidit Pelidæ Aeneidæ, occidētq; qui regnant & reguntur. Nam aut fortuna deserit virtutem: aut hæc illam. & nihil in caducis, potest esse sempiternum. Quod hîc quæris, si quæris, in celo invenies.

XXIII. HIEROGRAPHIA.

Domine vias tuas demonstra mihi, inquit Mysta: & lucente nocte, Septentrionibus scapham, ut vides, subijcit, sine ut apparet, vectore gubernatore, remige. medio mari, procellosoq;e. Quid? quò vult? Inprimis Symbolum, sententia sacra est, & sancti auctoris. nec ad legendum nobis scripta tantum; sed & ad repetendum eodem animo, in eodem discrimine, relicta. Deinde sive in terra, sive in mari versamur; mille periculis expositi sumus: & plusquam decumanis jactamur fluctibus. Non opus est demonstratione, in his, quæ cernimus atque experimur. Postremò cum tam incerta nobis consilia nostra sint, quàm de quibus consilium capimus, eventas multa quidem effugere possumus; sed aliud, quàm Deum, asylum non habemus. Ex his, quid scapha, Princeps, & quò velit. Scapha enim, corpus est, quod sine remige, sine gubernatore, animus hominis, qui sub visum non cadit, vehit. & ut illa inter procellas & scopulos fluctuat, incertum, quo eventu; ita & Homo, qui nihil aliud ferè est, quàm corpus (aut animatum dicam? qui omnia corporis cupidus expendit, & impendit? in varijs periculis & erroribus versatur. ex quibus nulla alia evadendi ratio est; quam veluti ex sentina, è corporeis voluptatibus gravius, quam ulla sentina olentibus, ad unicum salutis sydus, oculos attollere, Filium Dei, Iesum Christum. Tam piè ego ex sententia pia, de Principis sententia conijcio. Et quid aliud vellet, cum nulla sit alia salus? aut quò vellet, cum nulla alia sit, ad salutem via? ut omnia nobis obtingat, quæ homini mortali possunt esse inopertis; & homo ut appellatur, mortalis: ac cetera omnia, quæ nulli tamen mortalium obtigerunt, cum vita finiuntur. Homo autem, natura illa digniori & non mortali, nihil mortale, sed infinitum quid appetit & confectatur. Id quia in terris non invenit, percunctatur eum, ubi quærat, cujus bonitas infinita, potestas æterna, majestas summa.

XXIV. HIEROGRAPHIA.

Nulla re animus sibi malè conscius, impotens sui aut levis, & magnarum illicitarumque rerum cupidus; quàm successu & eventu, angitur, tabescit, ac torquetur. Nam vir constans, securus est sui: & vitæ integrum nihil, ut omnia cardine moveantur, perturbare potest. Transit tamen sollicitudo, ad homines non extremè perditos. Hinc auguria, auspicia, sortes, oracula: & si quæ alia sunt divinationum genera. quæ non tantum privata curiositas invenit; verum etiam publica anxietas recepit. Quod si caverent homines, in vita ne peccarent: in consilijs ne errarent. imò recordarentur conditionis suæ, suarumque rerum; non anticiparent animo molestiam, aut nihil profuturis se macerarent curis. Si malè


malè fecisti, aut facere deliberasti; quid speras boni? si benè, quid metuis mali? Nam si votis respondet eventus; est quo gaudeas: si repugnat; non est quod magnopere doleas. vacare enim culpa, ut ille ait, magnum est solatium. Bona verba. Deus ipse Patres admonebat futuri. Magnum beneficium. Sed si fuit privilegium; quid vis? Nostrum enim est leges accipere, non dare. Iam non fuit privilegium, quod ad nos dimanat: si benè interpretari possumus. Et multa providentiæ diviæ, prudentia humana percipit, si suo manet loco. Godefridi Biliônæi causa hæc dico, qui oratione Urbani VI. Pont. Max. (qui graviter Reges & Principes Lugduni increpuit, quod Palestinam sinerent à Saracenis teneri: & ubi pietas nata esset; dominari pietatis hostes) ad pium & justum bellum exitus, dux justæ expeditionis fuit, nemine Principum causante longam à domo militiam, nemine privatorum detrectante itineris difficultatem. vincere enim omnibus propositum erat, aut in conatis mori. Ex hac constantia, ex hoc consensu, ex hoc ardore, eadem omnibus spes erat. ne miremur ducem tam elato animo, & in pacato & hostico fuisse. Accessit in obsidione Hierosolomitana, res non admodum magna, quæ duci, videretur, felicitatem & victoriam portendere. Prætervolantes fortè tres apodas arrepto jaculo, trajecit uno eodemque ictu. stupentibus miraculo rei commilitonibus, & erat herclè stupèda, non defuerunt auspices, qui certam victoriam gratularentur, non dextero solùm, verùm etiam fortunato duci. Sapientiores, non auspicio, sed argumento, ceperunt rem expendere: & de felici jactu jaculi disputare accuratius. Casunè, an certiori consilio, providentiam vocant; telù ita feliciter cecidisset? Atque hinc est Symbolum ex Poëta sumptum: Dederitne viam Casusve, Deusve. T. Livius pravam religionem appellat, quæ minimis in rebus, Dei providentiam collocat: cum refert prudentissimùm senatum P. Romani, viro, quem sano iudicio legerant, audito foricis morfu, Magistratum abrogasse. Verùm enim vero, si omnia fiunt, ut fieri aliter nihil potest, quam causis antecedentibus; & minima suas habent causas, quæ veluti pet gradus, ad principem causam ascendunt, sine ulla cõtumelia. imò cum laude, omnia moderantis. An nos benè vertamus; alterius quæstionis est. imò nullius. Conscij enim sumus nobis ipsi, nostræ inscitæ & superstitionis. Pomponatius ostendit, vertere nobis, quò lubet, licere: non interpretari solùm; quod Homo sub Luna, præstantissimus animantium, ut habet liberum imperium; ita & liberam ostentorum interpretationem. Certè Epaminondas, cum antè Leuctricam pugnam, varia essent ostenta, missis faustis, infausta proferens, & hæc, inquit, fausta erunt, si vos viri Chaldæi ad tabulam celi, nos ducunt. Si ultrà, manum de tabula, inquam: Nam Magister adest Deus. cui servire, & justam causam commendare; securissimum est de rerum eventu, augurium. Sed peccata fiunt, & quæ Deus non vult: Privatio sunt, non exstantia. Hæc quarimus, & studiosius, hoc ipso peccamus. Non enim magis sensus, quæ suprema cognitio ceterorum animantium est, sentit, quid sit ratio, qua nos illis præstamus; quam ratio, quid sit Intellectus simplex. Hinc David nostræ audaciæ occurrens, Iudicia tua, inquit, Domine, abyssus multa. Et verè in caliginem incidimus; quoties ad inaccessible illam lucem accedimus. quemadmodum noctua offendit, si quando in diurnam lucem impingit. Qui non

necessaria, nequidquam quærimus queremur justius de nostra, non dico, ignavia: nunquam enim magis exercita est disciplina militaris; sed cæcitate, qui videmus Barbaros nostris cervicibus imminere, si tamen videmus, & odio partium cæcutimus. Quod si revivisceret Godefridus & successores, cum tot præclaris Heroibus, qui hostem barbarum & immanem, per tot locorum intervalla, ultra petebant mare. & viderent nos mutua discordia in mutuam perniciem conspirare; ac Turcam non minus barbarum, immanem, ac Mahemetanum, recipere intrâ viscera Reip. Christianæ, quos gemitus, quæ suspiria, quos singultus ederent. Nihil est illis beatius; sed & hoc beatiores sunt, quod tristi isto & lamentabili oculorum spectaculo careant. Memor majorum,

Dux Mercurius accurrit. Quid non concurritis

Christiani, & vos memores majorum?

Dolore impediatur, ne pluri-
bus querar.



Renatus Lotharingie Dux. Filius
Fridorici Comitis Vallemontis et

Margaretha Lotharingie Duissa
et



Margaretha Lotharingie
Duissa



Corchus Lotharingie Dux. et Comes
Videmontis

Geberhardus Dux Brunsvicensis &
Lunenburgensis



XXV. HIEROGRAPHIA.

Fuerunt jam aliquot Principes fœminæ, quibus Pavo in delitijs fuit, alijs atque alijs de causis. Hæc ut ex Gallico Symbolo, uti audire est, quod formæ venustati, integritatem fidei, & constantiam amoris, erga maritum anteponat. Explicat Pavo caudam, laudatusq; gemmantes expandit colores. & de industria, umbræ quosdam repercussus, ceteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda. adverso ceteros Sole, quod sic fulgentibus radiant. Gemmis superfusum aurum diceres. Opianus majori arte descripsit, quàm plastes scalpsit. Huic tamen, si vè venustati, si vè opulentie, aut imagini divitis, formosæ & inclytæ proavis fœminæ. nam & hoc, lunonis dare, creditum, cuius Pavo est) pudicitiam in fide maritali anteponit. & non injuria anteponit. Quid enim matronæ reliqui? ut illa dicebat, quæ stuprum violentum, morte voluntaria punivit, amissa pudicitia? Quid verò miserius, prostituta conjuge? sic mysterium Heroidis interpretor. Nam Pavo alias animal malevolum; & antequam Pavo, Argus, in suspitione pellicatus, serviebat lunoni. quorum hoc Ovidius, illud Plinius docet.

XXVI. HIEROGRAPHIA.

Cum Livia Drusilla pacta esset Cæsari Augusto, aquila sedenti sub dio, fortè, gallinam conspicui candoris, in sinum abjecit integram, quæ rostro teneret, Laureum ramum, suis baccis onustum. Res nova, ut erat, visa; & consulti aruspices, qui Gallinam jusserunt ali: ramum seri. Id factum est in villa Cæsaris, quæ abs re vocaretur, ut scribit Plinius, ad Gallinas. mirèq; nemus provenit. unde Cæsar postea in triumpho, quem successores secuti sunt, non modò coronatus est, sed & ramum virentis lauri, tenuit manu. Et Heroïna hîc nostra, ramum baccis gravem, non serit, at fatum ostendit. Hoc Drusilla longè felicior, quod sobolem non laurum propagarit. quam ubertatem stirpis suæ, cum lauri surculi miraculo comparat: Et se consolans inquit: si me fata vocant; en generosa soboles, in qua me vivam: quæ me non finit mori: cujus præsentia, me desiderium, marito leniet: in quam qui intuebitur, me non magnopere desiderabit. Hæc enim nos nihil vetat ex paucis colligere; quæ pluribus enunciare, genetrici erat turpe. Nam & suos simia, cum nullis, catulos comparandos putat.

XXVII. HIEROGRAPHIA.

De Palma, scribunt Theophrastus, Dioscorides, Plinius. alij. Quoties jam nobis Hierographi, materiã scribendi renoyant? Palma, quod ad hanc Hierographiam attinet, victoriæ Præmium semper Græcis, in celeberrimis istis ludis, Olympicis, Pythijs, Nemeis & Isthmijis fuit. Licet n. pecularia essent victoriæ præmia, oleaster, pinus, pomum, apium; tamen mos idè omnibus fuit, ut ubiq; locorû, palmã manu gestarent. Hoc apud Pausaniam leges: illud ex uno Græco Epigrãmate habemus. Palmæ autè is honos habitus est, iudicio Plutarchi; quod oneri non succumbat, at gnaviter resistat. Vnde etiã ad Latinos transijt: Palma in medio proposita est. &: hoc mihi palmariũ. Hæc relatu nõ indigna, nec scitu in jucũda; si, ut fit, visa tantum palma,

palma, recenserentur. Nunc ad Symbolum planè pertinent. Nam Herois, quæ per coronam duos, Palmæ ramos, id est se cum marito trajecit, Palmæ instar florentes, licet de corona & majorum opibus certemus, & in periculum veniamus aliquando, quo pacto quinquertioni, & cuivis ad gloriam accincto, evenire solet; tamen non cadimus. quod justa cuique sit rerum suarum defensio.

XXVIII. HIEROGRAPHIA.

Nihil hæc à proxima discrepat; quàm quod sublatum diadema: subiectum M. prima nominis littera. & gentilicium Liliū, inter decussim formam palmæ atq; diadema. in tanta propinquitate loci, & similitudine Hieroglyphici (Symbolum enim idem est) nihil addam.

XXIX. HIEROGRAPHIA.

Legere est apud Suidam, Crucem esse, signa duo, ad rectos angulos devincta, ac connexa: & in Serapidis templo, dùm fama Deorum, impetrante Theodosio, subruerentur, Hieroglyphicas literas inventas esse inter quas figura crucis celebraretur, quam salutiferam asseriebant, qui salutem oppugnabant. Tantum tribuebant Aegyptij, auctoritati majorum, & sacrarum litterarum testimonio quod Eusebius ni fallor, luculentè scribit. Christiani etiã, nascente Ecclesia in eade sacra colebant crucem. Nam his id obijci Tertullianus contra Gentes, testatur. Constantinus Magnus, laborum in formam crucis augustiorem transmutavit, ut Prudentius non suaviter minus, quàm piè canit. Et antè, suppara, faciebant omnia signa Romanorum, cruces. quod etiam ex Patribus quidam, respondet Paganis. Trajecto enim ligno erant pendula. Vbi crucem non solum in templo colere, aut in signis inumbrare; verum & sub diu efferre, & palam explicare licuit, quanquam & Constantino fulsisse de celo, memoriæ Proditum sit; cruce non signa tantum, sed & milites, sua quisq; cruce signatus est. imò & cruces celitus lapsas, in vestibis hæsisse, cognitum est. aut comburamus annales; & lucem temporum, Historiam, tenebris involvamus. Nec ante Urbanus VI. Pont. Max. Christi gloria, ad pium bellum, Christianos potuit impellere; quàm salutiferum signum tolleret: & Crucem, velut, ex erario proferret. Ergo & militum classes, variata cruce, distinctæ sunt: & veritum Lege, ne sculperetur humi crux. ne cuius signum est, ejus Majestas lederetur. subjecta ea pedibus, quasi ad ludibrium, conculcanda. Ceperunt ut, degeneratum à majoribus scias, aversari etiam Christianorum quidam, quo signo, Christi & Christiani nominis perpetuum hostem, Imp. Iulianus, quem transfugam vocant, fugari in suo delirio cognovit. Respuunt enim piæ aures: quo responso, Diaboli mancipia, non sacerdotes, factum purgarint. Si crucem non aversantur; sed pictam crucem: cur non & scriptam? Nam memoriæ causa, uti pingitur; ita & scribitur. Iam pingere latius patet: & cum litteratis, rudes litterarum, complectitur. quod maximè Idolis, infestus, Gregorius Papa, solerter observavit. Secuta est, quam Papa maximè vitabat, Idolomania, inquiunt. Aliquanè igitur honoris species

cies est, quæ Christo pro nobis cruci fixo, non debetur? Non n. lapis, aut lignum est, cui honos defertur; Sed qui pictus aut sculptus intelligitur. quod in pictura notant; id Seb. Francus in scriptura, censoriè perstringit. Cum enim libros sacros haberent omnes, in ore, & manibus. ac ne esluent, religatos de mensa, compedibus; dixit, jam istis volumen hoc Idolum est. quàm verè aut piè, non disputo. Nam insipiens sapientia est, divinis rebus illudere. justè non possum negare his, qui submovè ab oculis hominum, quod homines Christianos maximè in ærumnis erigat: in felicitate sedet & quo nihil denique salubrius est, vel rei, vel spei nostræ, commonefaciat, in hac vita lubrica & infelici, vitæ & salutis sempiternæ. Nam si abusus culpatur; quis usus, amabò, lectionis sacræ? Quæ profectò sequi deberet lectionem, dilectio ut apparet, nulla sequitur; sed, odium, rixæ, bella. quæ à dilectione Christiana, & cruce Christi omninò aliena sunt. Hæc pro Principe dicta sunt. ut cum ipsi, tum successoribus, bona cum venia vicinorum, liceat retinere Crucem. qua Christus primus: Constantinus Magnus deinde: postremò Godefridus Biloncus splendè triumphavit. Nam Godefridus non postremus ex majoribus Mystæ, sub signo crucis, magnificum egit triumphum; sed æmulatus gentilem, ex Regibus Lusitanix aliquis. uti in Symbolis Regum, meminimus observatum.

XXX. HIEROGRAPHIA.

Sylvanus iste, Spero invidiam, inquit. & quis, inquam ego, tibi invidet? nudo, egeno, seni? Miseria te tua, invidia liberat. sed quod invidiæ vox ambigua sit, & tam in eum cadat, qui invidet, quàm cui invidetur; utamur invidentia, quod M. Cicero dictum censet, à nimis videndo fortunam alterius. ut alter alterum intelligat, hæc principio sermonis nostri, dicere libuit. Qui igitur in te, tuamq; fortunam intuetur; quid tibi ô mortaliùm miserrime, invideret? Me quidem miseret tui. Tantum abest, ut invideam. Malignitas hominum, invidet beatis, & se melioribus natura fortuna, aut industria. Quis tibi vir rusticane? aut quid invideret? si tua te nuditas, rusticitas, sordes obletènt; fuere istis tuis delitijs, tibi per me licet. Ego enim malim mihi invideri, ut cum Pindaro sentiam, si non loquar; quam mei misereri homines. An hoc te effert? quod Principis feras insignia? Næ rusticus es Rustice. Nam & Asini sacra portant, Deorum, non Principum mysteria. Quod qui videt; non invidet, si sanus est, at ridet vanitatem. Et quis non rideat homines ad omnia ineptos, cæco judicio fortunæ, à Principibus adamari? omnibus consilijs adhiberi? cuivis negotio adaptari? Ego certè risu disrumperer; nisi risum cohiberet, metus de Rep., de Principe, de salute. quæ salva esse non potest, insanis hominibus credita. Quid cum Sylvano stomachor infanti? nec horum rusticorum & agrestium simili? qui nudi virtutibus, operati sunt opibus & honoribus? Nuditas enim hujus, significat animum syncerum Principis Brunsvicensis: & generis ducum vetustatem. Nam synceritas tegi non vult: & fama est homines quondam, sola virtute coöperatos, in sylvis vagatos aut silæis abditos, vitam egisse, quam felicissimam ducebant, liberam & infontem. Ita de Sylvano nostro opinemur. cui
ut credidit

ut credidit insignia; ita & mandata dedit, ex corde suo, veluti ex solitudine: quod enim nemo tam opacum, tectum, solitarium? sententiam enunciandi: sperno invidiam. Quanquam enim nec Principis viri, nec privati sit, contemnere, ut M. Cicero indicat, quid homines de se sentiant, ac loquantur: cum nihil ulli pretiosius fama sit: & nihil Principi periculosius sinistra de se opinione concitata: tamen magni, constantis, & digni Principe animi est, rumuseulos & malignos de se hominum sermones despicere: si falsi sunt, tacere, si veri. Spreta enim invidia, ut contentiosa mulieres, conticescit. Alcibiades cum nec eluere, nec negare facta posset; insuetæ magnitudinis canem emit, & solutum per urbem vagari sinit. in quem cum ab ipso & linguæ & oculi averfi essent, nunciantibus amicis, hoc, inquit volebam. Philippus Persei pater rex Macedonia, Heraclidam probris & criminibus oneratum in custodiam conjecit: & omnem à se invidiam avertit. Ita publice & privatim ars, conciliandæ benevolentia, aut odij effugiendi, inventa est.

ss

110

Dux & Princeps Sacri Romani Imperij


Ernestus Dux Brunsvicensis & Lunenburgensis

Ioannes Guillelmus Dux Brunsvicensis & Lunenburgensis



Ericus Dux Brunsvicensis et Lunenburgensis

Henricus Dux Brunsvicensis et Lunenburgensis



Iulius Dux Brunsvicensis et Lunenburgensis



Quis hic, qui vix ex Ephebis excessit? nondum enim vel tenera lanugo, mentum vestit: qui subjecit pedibus crocodilum? lacertæ similitudo ostendit. & confidens non ignavia: hoc enim cogitare nefas est. in experimento tantæ virtutis. ac me hercle, ne fessus quidem labore: nihil certè æstuat (detricto ense, & objecta parma, vim non modò propulsaturus? sed & facturus, Iusticiæ causâ: fortitudo enim virtus est pugnans pro æquitate, & civium commodis) videtur? Ernestus Dux Brunsvicensis, meo iudicio: at Principis sententia, Iustus. Hoc enim Hieroglypti Symbolum est: Iustus non derelinquetur. Quis ille justus? Christus solus. quem ne capitales quidem inimici, ullius criminis insimulare in convivio, nec accusare in iudicio, qui omnia auderent, ausi sunt. Nam effectatio regni nulla erat: & si quæ fuisset; non fuisset injusta: est enim rex celi terræ; non jam modò, quod meruerit virtute; sed quod condiderit providentia, & regnat semper prudentia. De templo calumnia erat. & si de templo Salomonis, & non corpore suo, unico sacrario æterni Numinis dixisset; non poterat momento temporis, XXXX. annorum lapides restituere? qui orbem statuit ex nihilo, & tot seculis conservat? Non opus est verbis in tanta veritate: & est opus, in tanta diritate temporum. Memiserum? in quæ tempora incidimus. Sed vindicat se æquitas, ab iniquitate: & erit veritas semper superior falsitate. secundum Christum quis sit justus, non reperio. Nam, ut nævus in pulchro corpore; sic & inter virtutes germinant vitia: quæ nec Historici negare, nec Poëtæ dissimulare possunt, in vivis illis, ut Tacitus loquitur, virtutibus. Christus etiam conculcavit caput serpentis, ut vates cecinerant. tenera quidem palma; sed non incruenta victoria vicit. Ita ad spiritale certamen Hierographiam transferre, si libet, licet. & non tantum licet, verum etiam decet. Laudare enim Deum inprimis par est. servato igitur decore, Christo; mihi videtur Dux, in iusta belli causâ, nullam hostis vim reformidasse. imò jam debellasse, & sub pedibus habere pressum. hostem præ ceteris formidabiliorem. Crocodilus profectò infestissimus natura quædam Homini est ut omnes tradunt. Ad duodeviginti cubita excrescere Plinius scribit: & paulò post, sui immemor, accrescere, quoad vivit. ut cunque est. fera Homini infesta est. odium auget, gulæ irritamentum ita appetens est humanæ carnis. Et fortè nullo odio; sed à cupiditate trahitur: luget enim mortuum. unde Crocodili lachrimæ. Bellum quoque inter homines, ut odium accendat, cupiditas fovet. Nec tam infestus est homini Crocodilus aut ulla alia fera; ut homo. Hæc ad comparationem. Et quemadmodum nullius hominis tantæ sunt vires; quas alterius non adæquet vel fortuna, vel virtus; ita etiam falsamentia homo invenit contra morsum Crocodili. Nectrochilus modò & ichneumon, partitî vices, crocodilum opprimunt. tantilla, tantum; verum etiam, Delphin, ultus nostras vices: & nostri generis. Tentyritæ. sic appellantur homines, ab insula, quam habent, mensura corporis parva; sed præsentia animi, in hoc tantum mira. Terribilis, inquit Plinius, hæc contra fugaces bellua est. fugax contra insequentes. Adversum ire, hi soli audent. Quin etiam flumini, dorsoque, equitantium modo, hærentes, veluti frenum,

num, hiantibus resupino capite ad morsum, clavam iniiciunt, dextra ac lava, tenentes extrema ejus utrinque in terram agunt captivos. imò olfactu homuncionum, ut Pnyllorum, serpentes fugantur. Ita nil vult esse natura, quod nequeat vincit. Et naturæ parens, exigua sæpe manu, immensam edit validissimorum hostium stragem: ac multis seculis tyrannidem constitutam, momento temporis, eruit à fundamento. Hæc ad pleniorém comparisonem. ut Hierographia Principis, quæ oppido ingeniosa est, pronius intelligatur.

XXXII. HIEROGRAPHIA.

A belli gloria semper benè audiverunt Principes Brunsvicenses. Sed hæc magno & difficili labore paritur. Mars enim communis est: & alea belli incerta. Quocirca ne aut ipsi terrentur periculo: aut suorum aliquis, fractus animo cederet vel hosti, vel necessitati, Præconem Majorum, Sylvanum, cum insignibus, ex quo vestem facialem non induit, nec legit verbenas mittit qui, quasi de rostris, de hoc tumulo, sublata voce clamet: Ex duris gloria. His tribus, quod ajunt, verbis, omnes, contentis laboribus & periculis, ad audendum concitari posse, Dux putat: sui enim similem quemque unusquisque existimat. Et ducis similes, sine controversia, incitantur. Tanta est animis magnis insita laudis cupiditas. Nec olim erant pretiosæ, sed honoratæ, victrices coronæ. Poëtæ fortium virorum præcones, de vili hirco certabant, aut qui hirco etiam vilior est, de populi applausu: quid enim vilius judicio Multitudinis, in qua pauci sapiunt, plures dominantur? ubi pretio ducitur virtus; vir non est virtute præditus. Commiscuit, veluti torrens quævis absque discrimine, Poëtæ cum Principibus. Verùm non hos tantùm quorum ingenia, viribus corporis, aut fortunæ magnæ adæquat pænè, gloria quædam titillat; sed & famæ quoddam desiderium, per omnes officinas pervadit quoque. ut in libellis de fama conamur enarrare. Non igitur furdus cecinit Sylvanus; sed animos omnium commovit, & vel famæ, vel gloriæ studio (magnum inter hæc discrimen est, accendit. ut, si pluries prodierit in proscœnium, non modò benevolè, sed & attentè audiendus sit. Ita evenit sæpe, ut, à quo minimè expectes; in eo, digna maximè spectatu spectes.

XXXIII. HIEROGRAPHIA.

Non est hîc Corytus, aut Pharetra; sed arcus & Sagitta, in promptu sunt, imò in crena hujus, illius nervus. Omisit Glyptes, alas non uncinum teli: Quæ manus lentet arcus cornua, non est, quo quæram: robusta enim est; sed quo collimet (scopum enim video, & si aërem ferit, nequidquam ferit) jam jam cùm jaculaturus videatur, cujuscunq; tandem manus est, lubet observare. Me moræ aliquis impatientior, non attendet ad id quod faciet; sed dicit sagittarius. Nam licet telum sit, ut appellatur volatile; vox tamen antevertit, quod cunctatiorem facit prudentiorem virum in dicendo. Non enim ut telum, dictum revocari potest. Et nos, si placet, audiamus. nondum enim manus dextera laxat nervum. Sic ad astra, itur. ipsi suppleverint, qui sapientes viros antè audiverunt. ut fieri

fieri necesse est, in longioris vitæ curriculo. Habet igitur alium scopum sibi propositum, quàm ego rebar, hoc exiguo inditio: & aërem non ferit; at celum petit. non vi; sed virtute. in quam nisi omnes animi & corporis vires intenderis: verè aërem feris, & frustra laboras. Militaris & erudita Ducis Erici sententia. quam factis longè accuratius, quàm dictis aut pictis illustravit. Hic enim ille est, qui labentibus fere omnibus collegis, fidem Regi Catholico servavit. De religione taceo, quam non mutavit.

XXXIV. HIEROGRAPHIA.

Magna me tenet admiratio, legentem & videntem ista. Verè enim sunt Hierographiæ: & aut oracula Prophetarum, aut ex ore sequacium missa. Tantumnè potest, accepta à majoribus, & retenta, in Deum pietas? Cum Austrijs Principibus, in amicitia, tot mutuis beneficijs obligata, animorum constantia? Miror & admiror legens & videns. Henrici animus & major & lucidior. Neutri enim fortunæ succumbens. imò & in adversa se jactans, qua alij torpent, aut non viriliter se gerunt. Exemplo sit Achilles. in nece Patrocli. non ut Heroem decet sese, quemadmodum Plato repræhendit, testimonio Homeri, gerens. Hæc mediufidius fortuna æquiori, sine gemitu effudit. Visitavit nos Oriens ex alto. Cujus verba sunt, nemo ignorat. Nam Sol aternæ Iusticiæ Christus est, aut Lux Solis: Lumen Luminis. Nam sparsi ab utroque radij, S, Spiritum representant. propter gratiarum abundantiam: & processum ab utroque. Quid ergo Deum mali statuit auctorem? Non cadit tanta impietas, in pietatem tantam. Statuit Deum potentem rerum dominum. Et se non castigatum, at salutatum existimat, ab eo, qui cum posset perdere, servavit. Quid si statueret poenæ auctorem? Nihil alieni esset, à Majestate Dei. quam & justam esse convenit. Multum enim malum poenæ, à maloculpæ differt. Non est malus, qui culpam castigat; sed qui committit. Et injusta vindicta Dei; moderatio elucet. Nil eluceret: omnes & omnes abirent in antiquum chaos. Mihi certè nihil ego possum vindicare, præter misericordiam tuam Domine: quam continua nobis, oro atque obsecro, ad nominis tui divini gloriam magis, quàm salutem animæ meæ. Cupio enim servari me; servari omnes meos, tuos, servari, inquam omnes, ut tibi posthac serviam, serviant omnes perennitates. Non enim mortui laudabunt te: neque ullus horum qui ad inferos descendunt.

XXXV. HIEROGRAPHIA.

Caduceator non novus adest. Quid enim Præconem dicam Principis Brunsvicensis internuncium? aut feciale nuncium pacis? Caduceator Sylvanus, non sylvanus, sed Lar familiæ Brunsvicensis: aut, si mavis, familiaris & tutelaris cliens adest. Non insignia tamen, sed lumen gerit. An ergo Cynicus? Minimè, qui est aulicus. & Diogenes, à quo illi, in caula, non in aula educati, clausum habebat, ut ille apud Plautum in cornu Vulcanum. Hic de candelabro lucentem candelam.

Nec

144.

Nec hoc rusticana impudentia, aut agresti imprudentia facit, Nestor Brunsvicensis (sic sane appellatur Sylvanus, qui jam tot hominum atates vicit) at summa sapientia & singulari cognitione rerum. Nam lux animi, usu non consumitur; ut lumen candelæ cereæ, vel sebaceæ. Est quippe virtus, clarissimum animi jubar, quæ non senescit, sed invalescit ætate, & usu. Sed aliter, inquit, loquitur; quàm tu sentis. Audiamus, inquam ego, quid loquatur: Alijs inserviando consumor. Dicit bene. Sed in vos, qui in his rebus versamini, quæ usu teruntur: cujusmodi sunt, omnia fortunæ & corporis bona tandem. etiamsi usus sit laudabilis, non obsonus à natura. Labor enim fatigat licet, exerceat aliquamdiu, & tandem affligit corpus. Liberalitas minuit, & postremò exhaurit arcam. Vera virtus quò magis exercetur; eò magis illustratur exemplo, sit contra istam prodigalitem; quod ex arca non promitur, bene de omnibus promerendi studium: & adversus immanitatem corporis, fortitudo animi. In vos hæc cum dicit Princeps Iulius; secum ipse gaudet, & exultat, velut amplissimo orbis terræ amphitheatro; rectè factorum conscientia. quæ meum non est, sed Historici domestici posteris testari.

XXXVI. HIEROGRAPHIA.

Effrenis & saliens equus, utrum ex habenis mordens, nescio, eandem sententiam loquitur. Quid facient istic viri? ubi tam graviter bestia sentiunt? Non enim diceret, si non sentiret. Sed ut dixi, Principis longè alia sententia est. Verè enim de se equus: qui frigosior sit currendo: & debilior gestiendo: qui in ardore pugnae cadit, ut lento igne candelæ torretur: qui deniq; in usu versatur, & quocunq; casu, aut tempore, quod diurnum Vitæ non est. Et ut esset; quæ tandem diurnitas? ubi aliquot extremum? occidit atque extinguitur.

* *
*



XXXVII. HIE-

Dux & Princeps Sacri Imperij
Henricus Julius Postul. Episcopus Halberstadien.
Dux Brunswicensis & Lunenburgens.



Henricus Julius P. Episc. Halber.
Dux Brunswicensis & Luneb.

Henricus Dux Brunswicensis
& Luneburgeri. Eques Aurei Veller.



Otto Henricus Dux Brunswicensis
& Lunenburgensis.

Carolus Dux Goldrig ultimus
Eques Aurei Velleris.



XXXVII. HIEROGRAPHIA.

Factum benè ab antiquario Cæsaris, quod suum cuique Hierographiæ auctorem & Hierographum ciet. Si modò nomen exstet, & non tempus edax rerum, hoc quoq; abliguririt. quemadmodum hujus Hierographiæ, non modò Brunsvicensium, sed & litteratorum Principem, Henricum Iulium. Nam cum sit inter proverbia: $\mu\eta\ \pi\tau\theta\ \lambda\epsilon\omicron\nu\tau\alpha\ \delta\omicron\rho\kappa\alpha\varsigma$ insignem verò gloriam, dicet aliquis, si capra vel silvestris, è rupe alicubi rapta, vel domestica è stabulo crepta sit à Leone? capra autem est, in quam hîc leo insilit: serpillum enim (sic hirci barbam appellant) non cerno. Si tantus contemptus est cornuum capræ; est autem: etenim pueri infantes rident etiam capri cornua, non despiciunt Leones modò; nec horrendus profectò morsus: lingit enim non mordet. Vnde & aliud proverbium: Sontem vel capra mordeat. De tam vili hoste nec spectanda nec exspectanda laurea est. Quod si Capra stravisset ac cepisset Leonem; res nova, memorabilis, spectabilis fuerit. Nam polentiores, in manu, ut Leo in ungue, jus habent. Hoc si quandò Deus vindicet, ut Sinnacheribbo profligato aut virtus à Deo, ut fugato Xerxe apparuit; id verò admiratione & honore dignum, homines censent. Hæc diceret aliquis, qui nesciret Principem litteratum esse auctorē. Cùm autem constet, quis sit auctor; is figura oculos non terminat; sed redit ad mentem: & penitius de capra cogitat. Est autem, animal natura subdolum. Astum Principes generosi, & pectore aperto, ut pestim averfantur. Quid tùm postea? dicet aliquis. Non enim satis causæ est, in odio ut invisum damnent: vel in gratia, ut indignum honorent. Importunus es sine me cetera persequi. Eupolis in comædia, Aeges, multas arbores & frutices commemorat, quas Capræ ligendo corrumpant. Iam Libero mactabatur, vitis causâ. imò Leges in locatione, ex fundo eijci permittunt. Noxium igitur animal est, non non modò subdolum. Noxæ autem agere, sive cum hostibus, sive cum subjectis, Principi, non solùm fas; sed & jus est. Iuris enim causâ Princeps est. Ita fortè ad sententiam Principis litterati appropinquamus.

XXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Hîc verbis opus non est, sed factis. Ita sunt omnia aperta, vitanda partim, faciunda partim. Duo sunt Symbola. Profopopææ tres. sub veritate, calumnia & mendacium. in circumferentia: Bene faciendo neminem timemus. Circa veritatem: veritas vincit omnia. quæ mirum dictu, ut inter se quadrent. Nam cui persuasum est, securitatem in benefactis consistere: & est profectò animi fiducia, validum præsidium ad adversus metum; ne simulatione nitatur, & malit videri, quàm esse bonus: Veritatis simul vis explicanda erat. quæ calumniam eludit, mendacium elidit tempore tamen. Quis levi temporis usura, aut æterno opprobrio se maculet? aut manifesto opprobrio exponet. Calumnia personam diffamat. Mendacium orationem invertit. Voluit Princeps omnia patère, propter utilitatem. Hierographi aliàs latere volunt propter disciplinam.

XXXIX. HIE-

XXXIX. HIEROGRAPHIA.

Adest iterum Sylvanus Brunsvicensis cum hasta, & ferula ardente. Ecquid molitur? Honesti aliquid pro patria, uti audire est, ex Symbolo. imò quidvis facturus. Huc enim arma referuntur, & flamma. Ego ejusmodi vitium, amicum quam hostem malim. Nam ut ferro, ita & igne grassaturus videtur. nec laturus, sed vindicaturus quovis modo injurias patriæ illatas.

XXXX. HIEROGRAPHIA.

Aliud est fortia pati, aliud facere. Proxima Hierographia videbatur, quidvis facturus: hac omnia passurus, patriæ causâ. O Principem, non prudentem modò, sed & fortem virum Principis enim Sylvanus arcana effert. Patientiæ lux est, accensus in læva focus. Nam Scavo-la, sic abs re appellatus, in focum, lavam immisit, constantiæ ostentandæ gratia, & contemptus tormentorum. In nostra religione etiam receptum olim fuit, prunas calcare, invocato Deo, si falleret. Et Pagani anticiparunt factum, Herculis, ni fallor, sacerdotes. Ita superstitio propinquâ religioni est. Et Magi in Aegypto, adæquarunt panè præstigias suas, miraculis quæ erant divina, Mosis. Iconi fortitudinis: fortior enim est patiens, quàm immanis) adjicit Princeps non minus piam, quàm fortem sententiam. In manu Dei colloco. Hoc enim ferè Symbolum Germanicum est. Etenim, si Deo permitteremus omnia; felices nos ter, ut dici solet, quaterque. Hic enim ut solus potest, ita & vult, non solum ab injurijs vindicare; verùm etiam à flagitijs liberare & pœnis eripere. Nunc nos sumus, qui simul accusamus & damnamus; si possumus: si non possumus. socios, injustæ vindictæ quærimus: aut malitiosa juris interpretatione, vis evertere conamur.

XXXI. HIEROGRAPHIA.

Guil. Budæus, libros sacros cothurno Tragico assimilat. Nec herclè aliter jam ad omnium opiniones, etiam toto, quod ajunt, celo, discrepantes, detorquentur, quàm Cothurnus, utri, vellos, pedi indueretur. Causâ Symboli hoc dico. Nam pij juxta ac impij, hac sententia, Lux in tenebris, & post tenebras lux, promiscuè utuntur. Luna est, quæ nocturnas tenebras discutit, & noctu lucet. Sed ambo, non de luna; sed veritate religionis, quæ luminibus Animæ multò clariùs relucet; quàm illa, corporis, loquuntur. Hoc autem fit, quod sua cuique placeat: & multitudi ni insanæ verisimilia, sic appareant vera; ut sanis vera; videndum igitur est, à quo quidque dicatur, & pingatur; ut superiùs monebam. ne fallamur. Nam ut meretrices interdum matronæ faciem mentiuntur; ita viri impij, muta pietatis persona loquuntur piè. Non vereor ut quis hæc de Principe dicta interpretetur. Principem enim norunt omnes. Sua autem fama quemq; tueatur. Et me à malignitatis suspicione, in scribendo, modestia tuctur.

Aquila super globum terrestrem, Altiora, inquit, peto. si celum benè. si te majora; vide quid petas. Multi enim quod gravius humeris tollunt, oneri succumbunt. imprudentiores camelis, qui plus non recipiunt, quàm cui sint ferendo. Si non tantùm majora; verùm & ea, injustè; aut in consectando cadis, aut in fruendo angeris: & vel te ipse, vel posteros tuos, tuis, nihil meritos, pænis miserè involvis. Ad Carolum postremum Geldriæ ducem pertinet oratio: qui patrem in carcerem detruso, uti narrat Cominæus, tyrannidem occupavit, Et Mariæ, quæ Maximiliano I. Imperatori dignius nupsit, nuptias ambivit. Nec fera fuit patricidij pœna, ut Gygis homicidij. In bello enim cecidit, quod Galli, qui se, patre virginis superstite non moverant Virgini Mariæ inferebant. dignus, qui caderet, in carnificina.

* * *



Duces et Principes S. Romani Imperij

Guillelmus Dux Cluicⁱⁱ et Comes
Marchie

Joannes Dux Cluicⁱⁱ et Comes
Marchie




Joannes II. Dux Cluicⁱⁱ
Comes Marchie

Joannes III. Dux Cluicⁱⁱ Juliacensis
et Montis primus



Adolfus Dux Cluicⁱⁱ Juliacensis
et Montis II. etc.

Carolus Fredericus Princeps
Cluicⁱⁱ Juliacensis et Montis



XXXIII. *HIEROGRAPHIA.*

Centauros fabula est. Compressa Nube, quæ Iunonem referret, ab Ixione, natos esse. Hyperphialum, inquam, qui congressus cum equabus Magnesis in Pelio monte, genuit Centauros. Historia verò Centauros Ixionis filios cum sodalibus, dictos fuisse; quod ad depellendam externam vim, armis correptis, equos conscenderint mortalium primi. quos cum agrestes essent conspicati, iudicasse superiore parte homines, inferiori equos: appellasse autem centauros, quod, de quibus erat certamen, tauros, & reliquã vim pecoris, ante se agerent, & ut sit pungerent, urgerentque stimulis. Fuerunt inter eos vitij & virtute inclyti. Ac ne plures commemorem, Chiron, qui Achillem, non solum ad bellum, sed ad omnem virtutem informavit: & Nessus, militaris luxuriæ, qui Deiamiræ Herculis, vim inferre conatus est. Brevius rem prolixam enarrare non potui. Debui attingere, ne quem agrestium quoque, jam species monstri hîc picti deciperet. Non est tamen Nessus, qui puellam vehit: nec herclè Deianira, quæ vehitur; sed quocunque tandem monstro Libertas fertur, ut ex Symbolo manifestum est: læsæ libertatis affectus. unde liquet, libertatem esse. à quo autem læsã, non addit. Temporis ratio & loci vicinitas, libertatem Belgarum, ab Hispanis attentatã, animo subiiciunt. Nam Belgæ, à quibus semper antè, ut monstris abhorruerant; ad horum societatem confugerunt odio Hispanorum. Ita dum fumum servitutis fugimus, in ignem sæpe incidimus. Nec tam firma est libertas, liberarum & foederatarum civitatum, quam nobis apperet. Nam non longa dies multa novat. & mercenario milite utuntur. quid dicam? quod duci perpetua potestate, in bello animos addunt: plebem conciliant. & viam complanant ad tyrannidem? quam maximè fugiunt.

XXXIV. *HIEROGRAPHIA.*

Plinio sæpe utor, & ferè solus ad manum est. Hîc carere nequeo. Delphin enim supra mare apparet, ut ex cauda trifurca apparet. quem velocissimum omnium animalium Plinius non marinorum modò testatur. ocyor volucre, ocyor telo est. Huic celeritati, ne ceteris piscibus exitio esset, natura occurrit. ore multo infra rostrum, medio parè, in ventre abdito. Hinc enim fit, ut nisi resupinus & conversus, non corripiat. quæ res vel imprimis celeritatem belluæ pandit. Ingluvie enim concitus fugientem in vada ima piscem insectatur: & cum animam diutius continere nequeat, ut arcu excussus, ad respirandum evolat. tanta vi atque impetu; ut supra vela navium feratur sæpe eadem contentione. Hoc autem relatu hîc necessarium erat, ne quis quæsitam auribus fabulam retur. Nam quod Plinius, ultra vela; hoc Mystra amplificans, ultra nubila inquit irridens assentatores, pestem Principum: qui vitia horum extenuè aut, promiscue virtutibus dealbant: aut factum non malè aliquod. laudibus ad celum vehunt. Sunt quidem facta Principum hòc illustriora, quò ipsi sublimiori sunt loco; sed non minus pravè quam rectè facta. imò sæpe illa, ut intentiores sumus in aliena vitia, quam virtutes,

tes, sæpius emanant: & majori fanno excipiuntur, quam laudabilia applausu.

151.

XXXXV. HIEROGRAPHIA.

Suis coloribus Liliū varij depinxerunt, ut nos suo loco observavimus. Si tamen ars, naturæ opificium potest exprimere. Odorem certè pictura non spirat; quem natura ita gratam flori afflat. ne quod miramur minùs liliū miremur. Hoc tamen liliū, non pictum, sed factum à natura, ad agri ornamentum; ab hortulano traductum, ad horti delicias: si decerpis, flaccescit: si relinquis, marcescit, & ut hac luce floret; sic crastina moritur: & fit, ut Mystra inquit, longè aliud. imò amisso colore & odore, omnino nihil. Mystra autem est, idem, qui prioris Hierographiæ, dux Cliviæ Ioannes II. ut me non peniteat conjecturæ meæ de Delphino. Quemadmodum enim istic sub Delphino Principes statuit; ita hîc solerter omnes privatos & principes sub flore comprehendit. Brevis enim ævi sumus omnes. & vita nostra, somnij instar. imo umbra, ut Pindarus sentit. vivit alter altero diutius; Nemo certus vitæ vel momentaneæ. Hanc communem miseriam deploro uberiùs in oratione funebri Ioannis III. Regis Sueciæ. Quid iterem quærelas nihil profuturas? & misera hæc vita facit, ne nimium illam miseriam deploremus. Cùm igitur moriendum sit; vivamus mortales, ut aliquando, etiamsi nesciamus quando morituri.

XXXXVI. HIEROGRAPHIA.

Phœbus inter Principes ventos lucet: & quasi frontem corrugat, intuitu tempestat. Aut non est Phœbus? sed Christus, qui vitam Homini, quam tanti redemit, videt, ex alta illa specula, tot tantisque subjectam miserijs? Solis profectò incommoda, & celi tempestates, nec semper salubres syderum aspectus perferentissimus. O nos miseros & nisi misericordia tua Domine, mitigaret justam patris iram; perijssemus jam dudum funditus Sic non impie, ad sententiam Principis Cliviæ, quasi in tenebris collimamus. Nec fortassè aberramus à scopo. Nam & Poëtæ fingunt, Tellurem apud Iovem queri, de Humano genere: nec se ferendo esse, oneri flagitiorum. Quasi verò opus foret testimonio Poëtarum: cum sua cuique mens locuples testis sit.

XXXXVII. HIEROGRAPHIA.

Signum & vexillum discreverint prisca, aut vocum promiscuus fuerit usus, hîc scire nihil refert. Ex quo à crucis forma descitum est. auctoribus Barbaris (acceptum enim morem à majoribus Constantinus Magnus illustravit magis) vexilla, magis sunt, quæ non infra crucem hastæ, sed sublato ligno transverso, de hasta dependent. Hoc cognitu necessarium quin & illud, si tamen quisquã ignorat, pediti hastam, equiti lanceam datam. Nam hîc lancea est. rupta, cum vexillo. quod simili-


lius

lius est Romano (quadrum enim ferè) quam vexillum hastæ, latè fufum, aut circumvolutum, circa hastam. De Hieroglypto dictum est. Audiamus Symbolum: Mali, consilio. aut, si mavis: Malo consilio. Signa non dantur signifero, ut pugnet aut pungat hasta signata. potius, ut pugnam accendat. Ad signa enim tanquam ad Deos suos miles respicit, & Romanus supra Deos colebat. sive igitur suo, sive alterius consilio errat Vexillarius, si tanta re credita abutatur. Non me latet, rebus profligatis nunc, ut olim, contusis aut abjectis hastis. signa à ludibrio hostium viros fortes vindicare. Necessitati non dantur leges. Quis usus signorum sit, significatum est. quanquam Mystra, non tam signiferum, quàm ducem exercitus, Archistrategum Græci vocant, feliciores & uberiores in dicendo: (Latini enim nisi felicem ducem, imperatorem salutant) admonitum officij velit. Decorum quidem est, non tantùm erāt, ut T. Livius ait, ipsis concurrere ducibus. vel opima spolia: & hercle laus opima. Nam detrectare certamen, non solum cum ignavia, verùm etiam, cum exitio conjunctum est quandoque. Sed distincta sunt ducis & militis munera. In illo consilium, in hoc fortitudo laudatur. Ac ut milites non rectè fecerint, si mandata abnuant, quod ipsis aliter videatur & sententiam suam, consilio anteponant ducis; ita & dux, si in periculum ruat; & non potius videat, ut è periculo, exercitus evadat. Si enim ipse, pugne avidior, in pugna cadat; actum est de exercitu, aut de victoria. Capto Rege Francisco Gallo I. fœda fuit peditum strages, equitum fuga. Cæso Epaminonda, inutilis illa præclara Thebanis victoria. ne succenseamus Philippo Regi Macedoniæ, qui ut Lucianus scribit, apud Inferos Alexandrum reprehendit, non minus manu promptum, quàm consilio bonum, licet in acie non ceciderit; quod vitæ prodigus, & laudis avidus, in mille discrimina sæpe ita meritum, exercitum duxerit. filium pater. Non enim fortuna, imprudentiæ culpam levat.

XXXXVIII. HIEROGRAPHIA.

Hi Germani Principes, fuisse insigni inter se fide, & benevolentia videntur. Optant mediusfidius, non alio nomine felicitatem. Felicitatem verò eam felicem & stabulem ducunt. quæ à Dei bonitate provenit: & ejusdem numine defenditur. Princeps non solum genere, sed & virtute, ut decet esse, qui genus & nomen tueri volunt, insignes. Nam quorum felicitatis origo, aut injusta, aut levis est: nec firma est, nec optanda. Quis enim bonus vel regnum cum scelere exoptet? aut ad celum ferri, ut breui post, ad tartara relabatur? Ne prudens quidem. Nihil profectò violenti, impunitum est: nihil leve, perpetuum. De sententia autem Principum ex Hieroglypto quivis divinarit. Quod enim de loco in locum distulimus; Amalthea fuit capra, quæ Iovem lactavit, postquam Rhea clam Adrastæ & Isdæ dedisset educandum. ut scribit Hermogenes de Phrygia. Hujus alterum cornu, capra in celum relata, nutricibus Iuppiter jam adultus dedit, cum hac facultate, ut Xantus, in rebus Aetolicis: ut quicquid esset possessori in optatis,

eo repente cornu redundaret. Hoc cornu hîc, & fulmine armatum
 cernis. fabulosum est. quis negat? Sed vero verius est, gratitudini &
 pietati sua esse præmia ampla in terris, ampliora in celis. ut veritatis Ma-
 gister aut potius, ipsa veritas Iesus Christus nos docet. & usu discimus.
 Nam & malos, non tantùm bonos, tanta Bonitas, consortes reddit. Ne-
 mo certè est, qui Deum frustra aliquid poscit. Etenim si non
 dat, quod volumus, dat, quod magis expedit; si non
 citò; cumulat, cum nobis maximè
 est commodum.



Dux & Princeps S. Romani Imperij
Carolus Fridericus Princeps Juliacensis Clucensis
& Montis Comae Maroburg & Ravensburgi



Carolus Fridericus Princeps Juliacensis
Clucensis & Montis Comae Maroburg Ravensburgi



Joannes Guilielmus III Dux Juliacensis
Clucensis & Montis Sextus

Guilielmus Princeps Uranie Comes
de Nassau Eques Aur. Velleris



Aurea virtutis merces, sudore paranda est. inquit Princeps & Peëra bonus. Nam virtuti suæ præmium nullum petit. Major est animus Principis virtute contenti. Quis enim is est, qui bona animi, his compensari putet, quæ fortunæ appellantur? At alienæ virtuti præmium proponit: & quasi Agonotheta cives, non tantis animis præditos ad certamen de virtute accendit. Et sunt ædepol Tyranni, non Principes: qui vitia castigant, nec remunerantur virtutem. Quocirca de M. Antonio Imperatore accepimus: quanquam extirpare mala vellet, si posset; praviorem fuisse tamen, in remunerationem bonorum. Verum enimverò, virtutis, inquires, naturam exponere debuit potius, quam premia proponere; si munerarius, non tantum est potens; sed & prudens. Nam P. Romanus, cum cepit mirari aurum; desijt excolere virtutem. Est non nihil quod dicis. sed populus ille agrarijs legibus, veluti furijs agitatus est à Tribunis plebis. Populus erat, inquires. imò fuerit, inquam ego, sæx populi, plebs; pars erat tamen civitatis: & Patricij, princeps civitatis pars, foenere mersam tenuerunt sæpe civitatem. Ita non semper culta est; ubi maximè, culta est virtus. Nemo gratis, facit, grata. Nec rere vitiatos tempore, ut sit, Romanos. Agros publicos, honores regios, Patricij nullo jure invaserant: ut longi temporis possessionem, plebs, licet intempestivè, non injustè omnino turbaret. Romani tales erant domi, metientes omnia utili, non honesto. etiamsi non tantum utile honestum, verum etiam Deos prætenderent: qui auderent in concione plebis dicere: plebem auspicia non habere. At foris fortes. Fuerint. Vna species virtutis est fortitudo: & hac quidem ratione, si non injusta: quis enim fortem unquam prædonem, piratam? & non verius immanem ac dirum appellat? Quod autem sui commodi causa pugnarint fortiter, argumento est Italia subacta: & victis focijs redactus in servitutem: quid enim aliud erat, provinciæ forma? orbis terrarum. Et testimonio, non Methridates solus, gravi illa epistola, apud Salustium; sed & cives Romani, apud M. Ciceronem in libris de Rep. ut constat ex fragmentis. Nam veniendum fatentur ad casus, quibus hospites exepit Rex Evander. Si justiciæ ratio habeatur. An ergò imitabimur Romanos? Non, si sapimus. qui legibus vivimus, non exemplis: potiora enim optimo cuique virtutis præcepta sunt, quam virorum exempla. Sed ut Romani secuti sunt majores; ita Minores, Romanorū vestigijs insistant. Rectè igitur virtuti Princeps statuit præmia; ut honestè malint subjecti imperio suo, quam cupidè, cum parare, tum servare opes. Nec enim cum perfectis agitur. Laudata olim magis melioribus: quis enim perfectus, in vita hac, omnibus vitijs infecta, & inquinata? quam probata paucis, Zenonis sententia est: Virtutem se ipsa contentam. Aristoteles in omnibus, sui similis & excellens, ad bona animi; corporis bona & fortunæ requirit. quod nihil præclari, ut velit, possit: quem cura valetudinis impedit. & egestate multa præclara ingenia contabescant. Natura paucis contenta est; sed quæ sine ingenti labore aut discrimine, multi, & vel hoc infelices, non comparant. Iam non paucis contenti; sed multa, jure an injuria, possidentes, admittuntur ad honores. Ac ne queramus nostri temporis molestias;

lestias; census, non virtus, in florentissimo statu Reipub. aperuit Romæ curiam. Hæc pro bono Principe, si non benè; benevole dicta sunt. in quibus si prolixior fui (copia rerum, copiam verborum poscebat) fabula nauseam levabo, nō aggravabo. Non enim relatu modò digna sed utilis est, ne dicam, necessaria. & si dicam, verè dicam. Picta enim est pugna Herculis, cum Dracone, de pomis aureis; unde hausta sententia Principis, quæ nos torfit. Quæret enim spectatorum aliquis, sine controversia; quid hoc certaminis? & qui non ignorat rem totam; rei seriem declarari expetet. Est igitur inter Herculis decora hoc non postremum. quo præter exuvias draconis, aurea mala reportavit. Erat autem Draco, Typhonis & Echidne filius, Ladon nomine ut Appolinus Rhodius scribit, quem, de statione excederet, alebat Hesperidum sacerdos. ut Virgilius scribit Hesperides autem Hesperis Atlantis germani filia fuerunt, Egle, Aretusa, Hipertusa. ut plurimum opinio, licet Eubulus Atlantis contendat. forte quod hortum aureis pomis, à virginibus consitum, non se pimento, sed montibus circumsepserit. fore enim Themis cecinerat, qui raptum veniret, Iovis filium. præclaro oraculo, de filio Principis Decorum, Ita opes alliciunt quosvis, quovis. Etenim extrema ora terræ, ut Dionysius de situ orbis, tradit, Hesperidum sedes. Habes fabulam amice lector: & ex fabula colligis, non vulgò homines tantum, verum etiam Heròes legere, in victoria, prædam, & spolia hostium. ut ovum non sit tam ovo simile; quàm Symbolo Hieroglypton. sive igitur, per aurea mala oves intelligimus, quæ solæ erant olim opes: à pecude enim pecunia, ut posterior dicta est. sive pomum arborem, feracem aureæ frugis: Lucullus enim & Persicam Malum, & Cerasum in triumphum intulit; in idem res recedit: sunt enim & hæc divitiæ, parabilioresq; variè interpretandi eandem fabulam, antiquis est eadem vox *μύλον*. qua significatur & Pecus & Pomus.

L. HIEROGRAPHIA.

Non pulli Aquilini, sed Principis virtute & ætate Adolescentis carmen est: Me juvat auspiciis magno adolescere Divum. licet tacitus pulchus, quod non canis, facit. Nam in cranio stans, canino forte, militiæ suæ præda atq; rudimento, in patrem intuetur, nec veretur, quo ille consistit, fulguris micantis fulgore. Nullum autem feliciter auspiciis est, patris observantia: & si virtute insignis, imitatione. Ex hac comparatione Principis & Aquilæ crescentis, res obscura, veluti sydus, fluentibus tenebris paululum inclarescit. Pergam igitur cetera Hieroglypti indagare. Faces accensæ in medio sunt. & ut quis conjecerit: Castoris & Pollucis. Nam Pausanias in Arcadicis scribit, creditos esse navigantium Deos, quod coërta tempestate, digressis à Sigæo Argonautis, Orpheus pro salute vota conceperit: nec mora, geminas flammæ, circa Castoris & Pollucis capita fulsisse: subsidijsq; vim tempestatis. Subjecta stella fabulam discutit: & mutationem in melius lucet. Sed laurus aliter in horto & Parnasso, quam hîc visitur. Mirum non est. Quo enim ducit & fleat ingeniosa manus, ramos & herbas. Hîc Laurus in orbem fleat, id est, in coronam: & divaricatur, quod gloria honesta parta,
per

per omnes gentes ac nationes latè diffunditur ac diu conservatur. Quid nunc adjiciam? quod aut scitum, aut dictum est prius, Aquilam Iovi sacram? Laurum Apollini? Castorem & Pollucem Iovis filios? Repetendum quidem memoria est sed admonuisse sit satis. Nam Princeps magnorum Deorum auspicijs fretus videtur, ad virtutem, cui laurus debetur, cerni: ut ex repetitione Symboli, manifestum est. An ergò Divos censet, quos Pagana recepit superstitio? Bona verba. Domi fatam laurum, & cœlitus lucentem Majorum, quorum emulatione ducitur, gloriam intuetur. Et sine ulla superstitione; piè censet de proavis, nec inepte Divos appellat, quos virtus in celum intulit.

LI. HIEROGRAPHIA.

Magna me angit dubitatio, ecquis sit, qui dignos meritis propter virtutem, tollat ad sydera. Si Virgilius benè depingit virgam Mercurij, ad Homerij exemplar (hæc animas ille evocat orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit) Mercurius est. Nam quod cetera itineraria deposuit; factum est, quod vehatur. Sed quadriugo curru Sol ferri solet. Non respondebo, Mercurium Apollini, ut ante boves, sic equos jam subduxisset: aut pace facta utendos accepisse. suæ enim cuiq; Deorum Dearumq; thensæ erant. & nostras Veneres sejugi etiamnum vehunt. ne Mercurio invideamus quadriuges. Sed neminem video horum, quos in altum tollit, inquires præter aurigam in capso. Nihil te turbet. Heroes exuerunt mortalitatem, qua caderent sub visum: & sola refulgent virtute. quæ si oculis cerni posset, incredibilem cièret amorem sui. Quod autem videamus Mercurium, sit; quod Dij possint, quidquid velint. Si aperte vis dici, quæ rectè sentit Mytha. Deus non pictus, non fictus, sed benedictus in æternum, præ infinita sua moderatione, aperit miseris mortalibus celum; sed qui coluere numen suum in terris. Dicerem de Mercurio, quæ prudenter inter Ethnicos sensere, vulgus dixere. Sed vir magnus fuerit, qui in terra res magnas gessit: non enim sine causa positus stellato in celo, hominum benevolentia, inter Planetas. & hujus quidem loco, qui motu inprimis varius est, & fabulæ ac famæ congruus. Omnis fatiscit instituta, cum Deo comparatio. Ceterum columba, quæ fastigio Virgæ insidet; Caritas est semper conspicua, & tantopere adamata Deo.

LII. HIEROGRAPHIA.

Bestiarum capiendarum, domandarumq; belluarum, & regendarum, belluarum rationem quandam tenent, quam sequantur. Magistratus, cui non cum belluis, sed consortibus generis, res est; non inibit rationem capiendi domandi & gubernandi hominis, præstantissimi animantium? Inita jam olim est. ut alias relinquam his, qui in Rep. versantur, aut scribunt de Repub., duas invenio principes, Benevolentiam & Metum. de quibus nec me pigeat pauca dicere, nec te tædeat audire. Pertinent enim ad explicationem Symboli & Hieroglypti. ut ipse audis & cernis. Nam Symbolum est Italicum: Optimum Benevolentia præsidium: Hieroglypton verò, Parma cordibus perpetuis turgens. Et tanquam prius Symbolum non esset satis

P. ad rei

158.

ad rei declarationem: Hic murus aheneus esto; tam doctè quàm prudenter adjicit. Etenim vix ac ne vix quidem Magistratui persuadetur, tutiorem esse benevolentiam metu licet exempla exstent: & difficulter, ut ratio convincit, unus omnium possit obsistere insidijs. quod non diffitetur. Hinc enim custodes corporis; sed hi ipsi in dominum sæpe conspirant: castella; sed quæ manu hominum constructa, homines manu destruunt: præsidia; sed quæ prodant hosti. Metu si Tyrannis consistit; fit Divùm inclementia: nihil enim adversatur ita hominum naturæ, qui duci, non trahi volunt. Et Europæi quidvis ferre malunt, quàm inviti jugum. ut satis mirari nequeam, viros fortes, & natura liberos nõ ire concordēs, adversus tyrannidē Turcarum sub paterno imperio Imp. Rodolphi II. etc.

LIII. HIEROGRAPHIA.

Cor diademate in signe sub S. spiritu, Principem testatur: & ipse agnoscit, se, per dominum Cordis, esse ac versari in manu ac potestate Dei. Egregia ac regia sententia. Enimvero, si ea mens esset Principibus ubique omnibus; nã multò æquiores, essent multi, in Principatu, quem precario obtinent, à rerum domino Deo. Nam si non hominum intuitus flecteret à rigore ad mansuetudinem; raperet ab affectione ad rationem, respectus Dei. sensere cum Principe, Philosophi: qui cupiditatem subijciunt rationi. Nec nos dissentimus, qui in libris de optima forma Reipub., rationem submittimus Deo.

LIV. HIEROGRAPHIA.

Audaces fortuna juvat, Princeps Orangiæ, inquit. Quis? qui Imp. Caroli V. à quo summis affectus beneficijs, filio Philippo II. Regi Catholico, telam in Gallia Belgica exorsus est, quam nec ipsa Penelope retexerit. causas alienati animi Harius referat. Nostrum est examinare Symbolum: fuit enim audacis animi adversus tantum Regem, bellum suscipere. quid dicam gerere? continuare? & debilitare magis, quam simul omnes Christiani & Barbari, Reges ac populi? Noverat Belgarum vires. quam desiderabat in bellis, majorum virtutem, videbat usu disci, & ut ceteras artes, exercitio. Hoc animasse Principem, argumento est Populus in medio posita. quam Hercules, præripiens animo victoriã, caput cinxit, antequam ad Inferos, non leve certamen, præclaram arenam descenderet. Et per arborem, intelligit Multitudinem, qui Populus etiam dicitur, accentu modò ab arbore differens, nec omnem, sed aquaticam. Ceteros enim Belgas, videbat constantiores & fideliores Regi. Misso igitur continenti insulas & peninsulam Hollandiam feliciter tentavit. Inter aquaticas verò arbores Plinius numerat Populum: & Poëtæ non dissentunt, qui ad Eridani ripam, sorores Phaëtontis conversas esse, lacrymantes in Populos ingeniosè fingunt. Est etiam Lentitia Platano, sicut & Alno, sed madida. & ideo scutis faciendis: plaga enim contrahit sese protinus, cluditq; suum vulnus & ob id contumacius, transmittit telum. Sed nec arbor insignem, nec scutum ex arbore; sed Populus Zelandiæ & Hollandiæ pollens opibus, audacem Principem fecit. Et sub hoc scuto plus multò fecit; quàm sperare unquam sit ausus.

LV. HIE-

Est. 103.

Sacri Romani Imperij Principes


Mauritius Princeps Vranie
Comes de Nassau

Wilhelmus Princeps Vranie
Comes de Nassau



Renatus de Schalou Princeps
Vranie Eques Aurei Velleris

Philippus de Croij Dux de Arscotth
Eques Aurei Velleris



Antonius Marchio Bergie Eques
Aurei Velleris

Hugo de Melun Vice Comes de Guales
Eques Aurei Velleris



X

LV. HIEROGRAPHIA.

Sive Herculis id duellum est, cum Achelöo: sive pugilis cum tauro lucta (nam Hercules cornu, quo comprehenderat rivalem, fregit: & Theſſalorum inventum est, cornu intorta cervice, tauros necare). Comes Mauritius ingeniosè magis quàm viribus, in Hispanos insurgit: & cornibus, id est opibus ereptis, nunc classe, nunc tributo, sternit, lentoque bello, ducit pæne ad tabem. Hoc non ego, sed ipse tacitè dicit. Contumelia cladem exasperans. ut vel ex ipsius pugilis habitu videas: vel ex mugitu bovis audias.

LVI. HIEROGRAPHIA.

Duo funalia per coronam lauream trajecta, funebria sunt in Patris Vilhelmi Principis Orangiæ exequijs accensa. licet non ignorem, funera, cum scirporum luminibus, efferri olim solita: sunt enim humum versa. Et licet, ad faces referri possit, extinxisse nefas; de Patre filius queritur, violenta morte mortuo. Sequanus fuit, qui Principem sclopeto trajecit. Regis Hispaniarum jussu volunt. fortè quod, ut (Julius Cæsar, Attrebatum illi patriæ, quàm sui amantiori, Sicarium submitterit. Proscriptum & læsæ Majestatis damnatum constat. Ego dubia non affirmo.

LVII. HIEROGRAPHIA.

Claudiam Vilhelmo huic, Carolus V. Imp. Comiti Nassovio, despondit, cum Principatu Orangiæ. Principum verò Orangiæ postremi, ille in Italia, hic in Gallia cecidit, uterque insigni fide erga erga Carolum Imperatorem. Horum alteri, quanquam utrique, hoc honoris, familiarium aliquis, tribuere ut potuit) tribuit. quod Hierographia tibi demonstrat. Ecquid? Non vides ex rupe canem, in subje. ctum focum, moliri saltum? Audiam, quid non latret, sed dicat (Principis enim Orangiæ Renati vox est) Hoc quoque fecissem, si mihi vita foret. Quid tandem bone Princeps. Quod canis fidos heri affecta. Mori maluissem præcipitio, incendio, & quovis mortis genere; quàm à Domino meo deficere.

LVIII. HIEROGRAPHIA.

Qui hujus viduam duxis (erat Lethoringa) Dux Arsihotus, de hac fortassis conjugè loquitur: Iugalis fides. certè de sua loquitur, ut ex orthographia Basilicæ suæ, non jacentis, ut in ichnographia, sed erectæ apparet. Ad pietatem in parentes, quàm amorem conjugis, Ciconia, quam in nido. conspicis supra Vaporarium spectat.

LIX. HIEROGRAPHIA.


Toties nobis eadem redeunt; ut fastidiat magis. oculus videre, quàm
auris

auris audire. Grus est, jam usu familiaris. Nec hoc inauditum, quod videmus lapide sublato, cavere somnum. Vanum tamen Hieroglypton non est. sunt enim quæ sæpius iterari debeant: & ejus nos decet periculum facere: cujus experimentum alijs non infœliciter cœsit, at servavit percuntem sine periculo. Ejusmodi hoc est. Nihil enim aliud est, quam admonitio diligentia. quam fastidire nemo debet, quod alijs attulit salutem. imò quod attulit, sperandum quoque allaturam nobis vel salutem, vel quam rem aliam petimus. Hoc autem velle Marchionem Bergij ex Symbolo manifestum fit: sic sperare licet salutem nobis, tibi quietem & finem belli, Rex: si ut Grus, ad rem attenderis. Si tamen hæc oratio ad Regem & non ad gubernatorem pertinet.

LX. HIEROGRAPHIA.

In spe, inquit Vicecomes Gandensis, & silentio, fortitudo mea: & simul subijcit navim rostratam. Nec dubium est, quin ubi te ventis & mari, duabus rebus incertissimis te, ubi nihil nisi pontus & aër in conspectu sunt, exposueris; quin sublato consilio, omnia sint in spe, & votis profelici reditu nuncupatis Deo. nec non in silentio & quiete, ne remigum officia, sociorum navalium munera, aut gubernatoris mandata turbes, aut impediās. Hoc igitur certum est. & forte non incertum, Mystam commendasse Rempub. Belgicam Deo in tanta ac tam diuturna tempestate: proximum quod erat publicæ non at privatæ salutis, ne quem offenderet, cum non posset patriam defendere, linguæ silentium imperasse.

Promptum enim est, in publico malo, privatum publico nihil profuturum accersere. Ita Reipub. cum nihil videret consilio posse adjuvari, ferente omnia furore & casu, piè ac sibi prudèter consuluit. imitentur, qui pari in discrimine versantur.



Dux & Princeps S. Romani Imperij


Cristophorus Marchio Badenensis et

Eduardus Fortuitus Marchio Badenensis



Guilhelmus Princeps & Comes in
Hornberg

Christianus Princeps Anhaltinus
Comes in Waltersse



Philippus Flachiuss de Swarzburg Eques
ordinis S. Iohannis Hierosol. & p. German. Magis.

Philippus a Riedesel de Lamborg Eques
ordinis S. Iohannis Hierosol. & p. German. Magis



LXI. HIEROGRAPHIA.

Tempestati parendum inquit Marchio Badensis. Mascula vox. & si non sine mente, digna Principe. Multa enim ut tempestas, eveniunt publicè & privatim: quibus repugnaris nequidquam, cesseris non incommodè. Exhibet in palude Typham. quæ stagnanti in loco, non admodum eget imbre: fert tamen, & qui ariditate defluerent, madefacit pappos.

LXII. HIEROGRAPHIA.

Non aliter, Marchio ait, illius, ut reor filius, Fortunatus infortunatus, quàm Laurus vigorem & virorem (supplenda enim imperfecta sententia est, experfecta imagine) in sole ostendit: ita videtur velle famam suam vindicare ab opprobrio agnati, qui in principatum, quo jure nec dico, nec disputo, invaserat: & vitam, præter amores vagos, cetera in fontem in sole, in luce, in corona totius imperij ostendere. Morte subita præventus est.

LXIII. HIEROGRAPHIA.

Quando Deus volet (verba sunt Principis Hennebergij) truncus, in quo surculum seni (vides, non opus est indice) repuerascet, & feret suos, non suos fructus. Ità primùm res ipsa cruta in lucem. Quam rem animo Mystra conceperit: cujus fidei commiserit; me latet. Hoc neminem latere potest. piè factum, non dictum modò; quod ipse inchoarat. ejus proventus spem, in Deo esse collocatam. Sumtum quanquam non solis agricolis usurpatum, ab his ipsis, morem fatigandi superos votis, quorum manus in solo, oculi in celo. Nunc enim pluviam eliciunt precibus, nunc averfantur. Iam precantur, jam deprecantur serenitatem. Non satis, menini, quæ Paganis ferere, cum imprecatione fuerit, consuetudo. Rebus profectò secundis, obliuio nos ejus, cujus beneficio secundæ sunt, nobis capit. Vbi reflare, quemadmodum ventus, fortuna incipit; tum ferè & Dei & nostri, nobis in mentem venit. Cæterum inferendi duplex est modus. femine & surculo. uterque casu observatus. Nam femine aut ab avibus, aut vento in arborem delato, vidisse platanum in Lauro: laurum in Ceraso, & baccas simul discoloras. Rursus circa fudes, quò minus putrescerent hederæ à sedulo fundi domino circumjectæ, suam ex alieno fecere vitam. Ita casu inoculatio & in insitio nata est.

LXIV. HIEROGRAPHIA.

Quid hoc? Ex hoc in hoc. Mihi videtur, si non omnino cecutio, Ensis. Quid vult Princeps hoc. ense? Difficilis est conjectura, de alterius consilio. Principis præsertim. Debebant enim Principum consilia, esse abdita & arcana. non quod nostra liceat esse aperta; sed quod Principum majoris ponderis sint & momenti. quæ temerè vulgata, Principes cum Repub, labefacta. Nam falli cives volunt: Hostes cognita
aut præ-

aut prævifa in Principes vertunt. Quò magis miseret prudentes viros, vanitate familiarum, omnia Principum non dicta solùm, sed & somnia efferi foras. Et tamen id genus hominum; pestim hominum, & suam, Principes amant in secreto habent, & pæne in sinu gerunt. Hic me consolatur & ab omni dubitatione liberat Princeps Anhaltinus. Non enim conijciendum, sed recolendum memoria; ut varijs in procellis versatus sit. Atque inde statuendum de gladio, fido & perpetuo Comite Principis, ex hoc in illud bellum illapsi, etc.

LXV. HIEROGRAPHIA.

Quamquam eadem sententia, alium antè usum, satis recordamur: virtute & meritis dignos ad sydera tollo; vel memoriæ, vel utilitatis causa, relegatur. Est enim è Repub. sciri & credi, præmia quædam esse virtutis. Jam Symboli fastidium tollit, novitas Hieroglypti. Est enim præpollens viribus vir, qui adolescentem humo tollit, coma diffusa spectantem celum. Quis ille? si non virtus mascula; est Chiron, qui Asculapium, Achillem educavit & hujus patrem, Pelcum, ad summos honores extulit vulgata de Thedide fama. Est autem tollere, & educare: & extollere. ut nemo ignorat. Et Chironis exemplo, Princeps bonus, præclara ingenia fovet, educat, & in via collocat: qua in terris honos, in celis beatitas quæritur. Chironis formam requiris. Num hæc virilis? est, sed nuda. Et quæ vestis Monstra tegit? Nudus est, quod apertus, bonus, integer. Sed non est monstrosa forma, inquires. Cedo, nec enim in tam humanum ingenium ulla feritas cadit. Et qua ratione Chiron non equus, sed eques erat? eadem Princeps in bello. Nunc pacis studia Chiron tractat.

LXVI. HIEROGRAPHIA.

Triremim qui unquam vidit; nihil dubitare potest, quin hæc triremis sit. Ita inter proram & puppim extenditur. Ac ut notare est foros & transtra; ita & columbaria, per quæ, remi, promicant, & scalmos, imprimis malum infractum, ad truncum arboris religatum. Acroteria enim & reliqua sive instrumenta, sive ornamenta, cum navi communia sunt. Quæ visu percipi debebant; percepta sunt. Audiamus quæ auditu accipienda sunt: Non frustra. Quid? quod vides, contractis velis, quiesco: aut adverso vento, recipio me ad remos. Nunc versorium secundam ostendit tempestatem. Significat igitur quiescendum quandoque à negocijs: imò nihil vetare, & bellum inducijs interdum suspendere. & sese, ut in lucta sit, colligere, ut paratior ad rem accedas: fortiorvè in hostem redeas. Si posterior limitatiò magis placet, nec intueris, velim de summo mali. quod si aplaustre appellandum est, in etymo errant, qui non necessarium putant, est enim maximè necessarium, variantibus sese varijs ventis; agedum ad remos, ad scalmum, ad labores. nec fortunæ cede, sed animo forti obsequere.

LXVII. HIE-

Principes S. Romani Imperij

Carolus Philippus de Croy (Dux de
Arsoth. Marchio de Haute Baro in Vistingen)

(Fridericus Dux Wirtenbergie et Techi
Comes Mumpelgardie)



Georgius Ludouicus Lanagravins
in Leuchttemberg. Comes in Hals

Joan. Fridericus Dux Pomeranie
Cassubie Vandalie Rugie et Stetin.



Carolus Dux Munsterburgensis.
Comes Glacensis. et

Henricus Dux Ligniz (Brigen
Slesien)



LXVII. HIEROGRAPHIA.

Chamæleon est, de quo Hauræus loquitur. fama à majoribus accepta, feram hanc pasci aëre. Plinius describit; ex hoc vide, an rectè depin-
xerit Glyptes. non quod desint, qui Plinium mecum secuti, multis rebus
inventis, multa adjecerint. Quid fera versipelli uteretur. Marchio
candidus, & inter optimates Belgarum non postremus; magna me du-
dum admiratio tenuit. Nam nihil ferè aliud habet laudabile; quàm
quod accipitres, mira naturæ vide celo trahat, infestos, volucrum geni-
ri, minorum præsertim & infontium: justèque voret, quasi conscientia
vinctos & nihil repugnantes. Nam colorem mutare, aut timidi aut
callidi animi est. Iam Austriadum colores sunt, in quos mutare sese
Chamæleon nequit. quo ferè pacto ut ut simulet improbitas; nun-
quam redditur similis viri boni. Hæc in causâ sunt, ut negarem
esse Marchionis, qui & bonus est, & litteratus postquam me collegi, ac
rem penitus inspexi; Marchionem Hauræum non animi sui latebras
explicare; Sed Principi Inferioris Germaniæ, velut in speculo declara-
re: belli impensas non fore tantas, quæ ut charibdis, vorarunt immen-
sam Hispanorum gazam, ne dicam panè, Regem ipsum. Si dextrè gera-
tur; ita bellum se ipsum alit. nec refert civiles sit, an externum: mariti-
mum, an terrestre. Quemadmodum enim colores non mutant natu-
ram feræ; ita nec species, belli quantumvis feri; conditionem: acci-
dentia enim sunt diversitas belli, & color animantis. Eadem olim &
Regum bellicosorum, & ducum clarorum sententia fuit. Quæ autem
dexteritas (licet alibi alia interdum opus sit) in bello debellando, tam
diuturno, à importuno, celandâ multitudinem uni aperiunda est.

LXVIII. HIEROGRAPHIA.

Draco cervices telo confossus, insperatum, cum anima evomit.
Aut Princeps VVirtenbergij, de terribili hoste, qualis est Draco, di-
cit: præter omnium spem, cæsum esse, ac majori vi, quam humana
profligatum. Nam nec prudentis viri est, dicere, non putaram: nec
herele fortis, eo nimium dolere, si id patitur, quod alteri erat facturus,
certè nec Principis est, bona venia omnium Principum dicam, insulta-
re victis. Vulgò Hectorem jam mortuum vellicant. Achilles, ubi ad
se redijt (nam in cadaver sævire, amentia erat, non amor Patrocli, aut
odium Hectoris) corpus patri reddidit.

LXIX. HIEROGRAPHIA.

Princeps Leuchtenbergius, difficultatem negotij, in quo versaretur:
& certitudinem divini auxilij, eadem Hierographia, exponit. Nam
cum dicit fata invenient, viam scilicet elabendi superandique omnes
difficultates; Deum dicit, qui secundas causas, ut Princeps & prima
caussa, subjectas imperio habet. Iam nos ante ex Philosophi non
vulgaris, Boëthij sententia, Providentiam statuimus superiorem fa-
to. Quod discrimen si Virgilium, aut nescisse, aut hoc loco non admi-
sisse putas;

sisse putas; per me licet: Nam Helenus Virgilianus, multa Aeneae vaticinatus, & de musis anxio, sic finit sermonem: Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo. quo planè nos modò, ærumnosos, & exitu rei suspensos consolamur, quanquam nostra oratio, plena rationis sit. Verè enim Christus accelerat opem vocatus.

LXX. HIEROGRAPHIA.

Dux Pomerania, cùm nihil dicere videatur; lōge plurimùm dicit: Mundus est Mundus. Eadem enim est hominum, & rerū humanarū conditio. eritq; quam diu erit. non Mundi solùm & machinæ hujus eadem species & figura. Ac quemadmodùm P. Virgilius, binis Heroibus Homeri, Achilli & Vlissi, unum Aeneam sufficit; sic dividuntur aliquādo, quæ aliquando conjunguntur virtutes Herōum. Nec non ut alibi Comici, alibi Tragicis ludi luduntur; ita hîc pax, istîc bellum. Paucis finiam, quod pluribus poterā ostendere. In idem amphitheatrum diversæ personæ introducuntur: eadem res exhibetur. prorsus aliter ac Histriones. Nam ut Histriones iidem, non eadem referunt, sed variant in dies; ita Homines non iidem, eadem faciunt, quæ majores. Et si casus aliquid novat, nihil mutat. ut hîc Princeps signa prisca temporis, à signis nostri. & totam Panopliam ferè, distinguit: qua cum comparet arma veterum, cui lubet.

LXXI. HIEROGRAPHIA.

Vtriusq; Luminis defectum proponit Dux, & simul exponit à Domino factum. impietati os obstruens. Nam si natura à Deo; & naturæ operatio ad Deum non magno intervallo pertinet. Hoc in promptu est. Quid jam in adito? Duos aut Principes aut privatos, sibi mutuo, inter simultates officere, ut fit: & alterum alterius, aut suismet ipsos, luminibus obstruere. Iam in Eclipsi Solis, potentia Persarum corrui, nobis illa victoria Alexandri ad Arbela: Lunæ verò, Macedonum & Atheniensibus; jam soluturis, in Siciliam, protendit calamitatem.

LXXII. HIEROGRAPHIA.

Vitis pedata aut staminata est, quæ circa palum, aut perticam volvitur. Hoc cernere est, istud verò audire: Dum volvitur iste. & quis, oculos perstringit, radians Sol. Nunc mentem Mystæ intueamur. Mihi videtur hoc hebeti judicio, aut erga amicum benevolentiam; aut erga conjugem declarare amorem. Singularis animi affectio. Facile enim offendimus & offendimur, in arctiori familiaritate. præsertim, quam nec vitæ hujus luce, at celi lumine terminat. Et digna principe, digna viro. Quæ enim ea est levitas? si quid offenderis in familiari usu, quod nolles aut nesciebas? mutare sententiã, fidem, jusjurandum? cùm tu si non scateas, nec careas vitij? Quin potiùs noveris, non oderis vitia socij, sociæ? Faciamus, disputatione non est opus, quod Dominus & Magister vitæ præcipit: Alter alterius oneris portate.

LXXIII. HIE-

Comites Principes S Rom Imperij
Sigobertus Comes Hapsurgensis Primus



Ottobertus Comes Hapsurgensis II Babo Comes Hapsurgensis III Grat.



Rotherius Comes Hapsurgensis
III Equus

Heinricus Comes Hapsurgensis
V Cantus



LXXIII. HIEROGRAPHIA.

Pervenimus, ad fontem Principum, radicem Regem, sementem Imperatorum (quod nobis Deus, regum Rex, & Imperator universi benè vortat) Comites Habsburgenses: Qui se primus nobis offert; videtur animo esse militari. Nam ut ex unguibus Leonem; ita Comitem Sigibertum fortem & impigrum ex tibia agnoscimus. Hujus enim crus ocrea vestit, pedem calcar armat; cujus animum sententia animat: Hoc opus est. ut semper ocreatus, nunquam deses in actu sis: quò cogit necessitas, trahit societas, impellit gloria, accensurus equum. Est enim in stapede, pes à nobis vocabulis non abhorreo, in rebus novis. Cùm, quo religetur de ephippio, & aptetur tibiæ, fibulato loro. Quod si de calcare interpreteris Symbolum; non male quidem. Est enim ut calcare opus, in incitandis regendisque equis; sic in rebus gerendis, celeritate. nec committendum, ut fortia senescant consilia. Sed quid parergis istis opus erat? si de solo calcare cogitasset Mystra? Sua cuiq; stet sententia. Nam licet diversis sententijs, ut vijs, ad idem forum accedimus: & justicio in dicto, efferimus signa.

LXXIV. HIEROGRAPHIA.

Rebùs, ut apparet, fluentibus ad nutum. ita virtuti magis indulget, quàm adversatur fortuna; illustrior, inquit Comes, ad salutem. non meam. quam Deo & Reip. devovi, at civium, sociorum. & si qui meopem poscunt, aut ad me confugiunt. Non do majorum laudes, posterorum auribus. Intuere in vitem, qua nihil frugalius. Hæc rigatur pluvia, sicatur sole, non sibi: quæ succo terræ, & rore celi contenta est; at nobis. Nos sumus, qui vinum bibimus, non tanrùm ad sitim, verùm etiam ad voluptatem. & multò plus meri, voluptas; quam necessitas haurit. Quacum quod se comparet fiducia animi Heros; ego contentum recta conscientia fuisse judico: & si quid fecit dignum memoria: quid autem non fecit? fecisse non suæ, at alienæ salutis causa. Quod qui fecere olim Hercules; & crediti originem à Dijs trahere, & Dei facti. Nostri Hercules carent encomio, quod in seculum vel rude, vel ingratum inciderunt.

LXXV. HIEROGRAPHIA.

Itanè cito degeneratum est? Si esset, nihil esset novi. Nam Principes olim aut nullos reliquerunt, aut meliùs nullos reliquissent. Prioris generis est Romulus: posterioris Cyrus. Lampridius plures coæcervat, inutili studio: patet enim. Nunc ab hoc opprobrio & calamitate Otobertus Comes Habsburgensis, Sigibertum liberat. Citheram manu tenet, inquires. sed armata inquam ego. Et Achilles Heroum res gestas, quarum commemoratione, sese excitaret ad imitationem, canebat Citharam. quam hic pictam vult esse Nebrifsensis. Sunt profectò septem chordæ, sive fides, quot Planetæ: Hypate, Parhypate, Lichanos, Mese, Paramese, Paranete, Nete. Aliud erat classicum inquires quàm cithara. Erat.

Q

primum

primum concha : deinde cornu : postremò lituus. antequam ad luxum veniretur. Quid ergò usurpat Myſta citharam pro tuba ? Aliud longè facit, quàm dicit. non tamen mendacium dicit. sed fide & concordia ſubjectorum, veluti tuba excitari ſe dicit, ad audendum. Concordiam illam, fidium concentus repræſentat. E ſimilitudine non ſolum Princeps, verùm etiam Philoſophi utuntur. Quod ſi Principes ubique omnes uterentur ; ne multò major foret, cùm Principum laus, tùm civium felicitas.

LXXVI. HIEROGRAPHIA.

Corona inter duas parmas, haſtas, verò quatuor videtur parari & ſervari armis, quanquam benevolentia ut loco digniori, & potiori præſidio ſit. Hæc prudentis Hierographiæ, ſimplex enarratio ſit. Nam non ſatis eſt, in alterutro præſidio, præſidij. Benevolentia civium, ſine diligentia Principis, manca eſt. Et arma rursus Principis, cum odio aut contemptu populi, debilia ſunt. Philippum Alexandri Magni patrem, ſecuritas perdidit Phalaridem, civitatis totius odium evertit. Cyrum vigil animus, inter vigiles coſtodivit, &, ut Xenophon ſcribit, ad maturam ſenectutem perduxit. Paucis multorum Comes admonet Princeps. ut rectè ſibi conſulturus ſit, quicumq; Principum, prudenter dicta diligenter, fecerit.

LXXVII. HIEROGRAPHIA.

Rari hætenus viri, aut potius virtutes. Hic comes, nihil majoribus minor videtur. Non enim abſq; graui cauſa nomen Aequi invenit. Iuſtus ante appellatus eſt Ariſtides. Sed obnoxius legibus, quæ juvenem quoque ferocem, niſi ſimul vecordem, cogunt vel exercere, vel ſimulare virtutem. Rotherius Comes Habsburgenſis, in illa poteſtate & dignitate, nomen æqui tulit, longè majori cum gloria. Nam illi, uti patuit, non licebat eſſe iniquo. Principibus an liceat, non diſputo : video, quid faciant, occasione freti. Hæc de appellatione Comitum : nunc de ſententia. vim viribus. vi, jam antè dictum eſt : & eſt dictum plane idem. Sed hæc ſententia, ab æquitate, cujus nomine laudavimus jam, æquales Comitum ſecuti, multum diſtat. Hæc enim in legibus, illa in manibus verſatur. Quis verò ? Natura enim non modò licet, verùm etiam necesse eſt vim vi repellere. Naturæ autem lex, potior eſt, conſtitutione hominum, etiam non iniqua : vetuſtior quippe & ſanctior. Homines quoque, qui leges condunt, interpretantur, aut exequentur ; quod jure nequeunt in cauſa juſta, non injuſtè arma expediunt. Non igitur iniquum eſt, æquis armis, ubi fractæ ſunt leges, æquitatem defendere. quemadmodum M. Tullius in lib. de officijs, ſanctè oſtendit. De ſententia Comitum, quid ſentiam, imò ſentiant eruditi & prudentes viri, audis. Super eſt, ut videamus qua figura ipſe ſententiam ſuam declarat. En jubar, quod per caliginem perrumpit. imò depulſa caligine, radios longè lateq; diffundit. Hoc ſcemate illuſtrat, quod dictum videbatur obſcurius. Ut enim jubar ſuperat, diſperdit, perdit tenebras ; ſic virtus inſignis, qua nihil illuſtrius, hoſtes domeſticos obterit & peregrinos fundit, fugat.

LXXVIII. HIE-

LXXVIII. HIEROGRAPHIA.

171.

